871
J7.Yste

STEGEMANN

DE IUVENALIS
DISPOSITIONE

CLASSICS

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS
17 NOV 1913

DE
IUVENALIS DISPOSITIONE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI
RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

WILLY STEGEMANN
MAGDEBURGENSIS.

CLASSICS
DEPARTMENT

WEIDAE THURINGORUM
TYPIS EXPRESSERUNT THOMAS ET HUBERT
MCMXIII.

Rettulerunt ad ordinis philologos de hac dissertatione

R. Heinze et **J. H. Lipsius.**

Lipsiae, d. 25. m. februar. a. 1913.

Le Blanc, procancellarius.

871
J7.4ste
Classical

PARENTIBUS CARISSIMIS

Tabula argumenti.

Conspectus librorum.

Ludov. Bergmueller, Quaest. Iuvenalianae, Acta sem. Erlang. IV, 1886, p. 395—455.
Rud. Clauss, Quaest. crit. Iuvenalianae, diss. Lips. 1912.
A. Gercke, Gött. gel. Anz. 1896, p. 969.
I. Gylling, De argumenti dispositione in sat. I—VIII, Iuv., Diss. Lund 1885.
Alfr. Hårtmann, De inventione Iuv. capita tria, diss. Basil. 1908.
— Aufbau u. Erfindung der siebenten Satire Iuv., progr. Basil. 1912.
Alfr. Kappelmacher, Studia Iuvenaliana, diss. philol. Vindob. VII, 1903, p. 159.
B. Lupus, Vindiciae Iuvenal. Bonn 1864.
G. Mosengel, Vindiciae Iuvenal., diss. Erlang. 1887.
C. Fr. Naegelsbach, Über die Komposition d. 4. u. 6. Sat. Iuv. Philol. 3, 1848.
H. Polstorff, De versibus aliquot Iuv. male suspectis, Rostock 1882.
O. Ribbeck, Der echte u. d. unechte Iuv., 1864.
G. Schoenaich, Quaest. Iuvenal., diss. Hal. 1883.
Guilelm. Schulz, Quaest. Iuvenal. I. De genere quodam versuum insiticiorum quos credunt. Herm. XXI, 1886, p. 179—192.
— Quaest. Iuv. (de lacunis), Berol. diss. 1885.
A. Smit Annotatio in saturas D. Iunii Iuv., diss. Utrecht 1886.
H. Sydow, De Iuv. arte compositionis, diss. Hal. 1890.

Praefatio.

Plurimi viri docti hodieque male existimant de Juvenalis arte disponendi; pro multis nomino hos:

Friedlaender, ed. praef. p. 48—52 et praef., quas singulis saturis praemisit.

Leo, Die griech. u. lat. Lit. u. Sprache[3] (Kultur d. Gegenw.) 1912, p. 465.

Norden, ap. Gercke-Norden, Einl. i. d. Altertumswiss., I[2], 1912, p. 383.

Schanz, Gesch. d. röm. Lit. ap. Iw. Mueller, VIII 2, 2[3], 1913, p. 204.

Haec iudicia aliquantum restringenda esse primis septem saturis tractandis — excepta quinta, cuius dispositio critico nihil difficultatis affert — ostendatur.

Satura I.

Qui viri docti (Mayor, Friedlaender, Hartmann, Gylling alii) in saturas Iuvenalis operam impenderunt, primae saturae dispositionem non penitus adhuc cognovisse videntur. Etiam longius Pearson et Strong aberraverunt a recta via, qui duas praefationes (1—80 et 81—171) diversis temporibus compositas esse contextas putant. Gylling quoque (l. c. p. 13) multas primae saturae partes a Iuvenale diversis temporibus scriptas esse putat, postea in unum coniunctas. Quid? quod Sydow (l. c. p. 19) primam saturam „mirum ac singulare exemplum ordinis rerum

valde disturbati" nominat? Haec sententia satis inepta, qua Iuvenalis digressiones quasi vitio mentis tribuuntur, etiam atque etiam reicienda est. Certe poeta cursum orationis retinere poterat, sed non voluit saturarum legi obsecutus. Itaque itinere decedit sive paulum sive longius ad aliquam rem describendam, sed tamen dispositionem huius saturae, si totam spectamus, esse artificiosissimam recte Reitzenstein libri „Hellenist. Wundererzählungen" p. 27 mihi dixisse videtur, quam sententiam me infra probasse spero. Nonnulla etiam Church optime dixit (Proceedings of the American Philological Association, 35, p. 71—74), quamquam in rebus gravioribus cum eo non consentio.

His praemissis ad ipsam dispositionem accedamus fusius tractandam.

Exordio (vv. 1—18) Iuv. causam profert, cur omnino poemata scribere velit, profecto satiricam: non seriorum poetarum more se priores aemulari velle profitetur, sed assiduis declamationibus poetarum, ut ipse quoque poemata componat, se coactum esse dicit. Initium capit poeta a quattuor interrogationibus indignationis plenis, quibus, ut diutius carminum epicorum, comoediarum, elegorum, tragoediarum auditor tantum sit, fieri posse negat; epicum genus uno, tragicum duobus exemplis significans media genera, comicum et elegiacum, proprio nomine appellat (vv. 1—6). Sat superque ei notae sunt fabulae illae Argonautarum et Centaurorum ἐκφράσεσιν identidem decantatis exornatae et a summo minimoque poeta retractatae (vv. 7—14). Ipse quoque et grammatica et rhetorica disciplina usus rudimentis poetae necessariis imbutus est, cuius munus auspicaturus eo minore scrupulo afficitur, cum stulta sit clementia periturae parcere chartae. Ceterum grammatica et rhetorica disciplina eo magis ad poesin horum temporum pertinuit, quod rhetorum in scholis etiam declamationes poeticae[1] exercebantur et quod grammatici discipulos etiam arte poetica instituebant[2]; nam ipsi grammatici saepe poetae erant et, quos progressus ipsi in carminibus componendis fecerant, cum aliis communicare

[1] Cf. Friedlaender, hist. mor. Rom., IV[8], p. 23.

[2] Cf. Reichel, quaest. progymnasm., p. 117.

studebant. Quam ob rem Reitzenstein, l. c. p. 154, 1 v. 16 huius saturae poeticam suasoriam solam dici putat atque hunc quoque versum, ut v. 15, refert ad grammaticos, qui teste Quintiliano II 1, 2 interdum usque ad suasorias inruperunt. Sed primum rhetores, velut Theo, progymnasmata in universum, non solum poetica, necessaria esse dixerunt non modo futuro oratori, sed scriptori cuiusvis generis neque ullo verbo Iuv. indicavit se poeticas potissimum suasorias dicere. Deinde Iuv. alio loco (sat. VII, 161 sqq.) aperte suasorias rhetori tribuit. Itaque tenendum erit poetam v. 15 sq. a grammatico ad rhetorem progredi neque quidquam dicere velle nisi se quoque disciplina omnium hominum eruditorum nec non poetarum communi usum esse. Haec scilicet per ironiam dicit; nam ipse non ignorat multo plus hac disciplina poetae opus esse. Vv. 19—21 Iuv., quid sibi in hac satura proposuerit, profitetur: se demonstrare velle hac satura quibus causis permotus ex omnibus poeseos generibus satiricum potissimum elegerit; simul attentos facit auditores, cum eos rogat, ut placidi audiant.

Quae causae exponuntur sequentibus versibus inde a v. 22 usque ad v. 146, qui maximam saturae nostrae partem efficiunt, quam esse bipertitam recte iam Hermann (ed. praef. p. XII) cognovit, qui mihi defendendus est a Gyllingio (l. c. p. 5). Nam duobus maxime causis poeta se defendit.

Pars I (vv. 22—80). Primum ad saturas potissimum componendas eum impellit summa de naturae ordinis depravatione atque de vitiis sceleribusque temporum suorum inique triumphantibus indignatio. Iuvenalem in priore saturae parte innumerabiles indignationis causae strangulant[1] et, quia non uno tempore universas dicere potest, in ordinem quendam disposuit. Quem cognoscere non possumus, nisi accuratius inspicimus; primo enim obtutu poeta indignatione incensus omnia sine ordine effundere videtur. Est autem ordo artificiosissimus. Primum enim Iuv. complures imagines (quaternas aut binas) brevi sententia vel interrogatione rhetorica coniunxit, ut indignatio

[1] [Quint.] decl. maior. 12 sic initium capit.

per intervalla erumpere videatur, crescente semper vi atque impetu. Nam ipsae hae sententiae, quae imaginum cursum paulum inhibent plerumque ante (v. 30 sq., 45, 52—54, 63) semel (v. 30) post talem exemplorum seriem positae gradationem efficiunt: difficile est, saturam non scribere — quis . . . tam ferreus, ut teneat se — quid referam, quanta siccum iecur ardeat ira — si natura negat, facit indignatio versum. Deinde bina semper exempla aliquid commune habent et coniungenda sunt. Omnia fere exempla coniunctione quae vocatur „cum causale" inducuntur.

Postquam sic in universum de prioris partis dispositione disputavimus, nunc ad singulos eius locos descendamus. Exempla, quae a poeta afferuntur, in duo genera distributa sunt; primum enim (A. vv. 22—29) poeta exemplis probat naturae ordinis depravationem. Nam poetae satirico non minus sexus ratio perversa spadonis et Meviae a naturae ordine abhorrere videtur quam pristini tonsoris et Crispini novae divitiae, propter huius ortum infimum atque externum et illius artem inhonestam. Iniuria igitur Hartmann (l. c. p. 13 sq.) miratur, quod in tonsore et Crispino nullius flagitii mentio fit, et de rerum iniquitate hic agi putat (l. c. p. 11). Finitur hic articulus brevi sententia v. 30 hoc tantum loco post exemplorum seriem posita. Vel haec sententiae collocatio meo quidem sensu ostendit a. v. 30 alterum genus exemplorum atque id atrociorum[1], initium capere, quibus poeta iniquitatem vitae Romanae, in qua inhonestae artes, scelera vitiaque vincant, vividis sane coloribus depingit (B. vv. 30—80). Constat hic locus quattuor exemplorum ordinibus quorum primus atque extremus e quaternis, medii binis exemplis sunt compositi. Cum huius generis duodecim, illius (vv. 22—29) quattuor tantum exempla proferantur, partes prorsus impares a Iuvenale factas esse videmus. Praeterea horum duodecim exemplorum priora sex ab alteris sex maiore sententia versuum 51—54 seiunguntur. In prima serie Matho causidicus cum delatore potentissimo et pedicatores cum vetulae amatoribus (nam his

[1] Cf. Bergm. l. c. p. 407.

versibus duo, non unum exemplum continetur) apte coniuncti sunt; hi omnes inhonestum in modum divitias et opes sibi comparant, illi in re iudiciaria, hi corporis prostitutione; ab illis lecticis vehentibus honestos homines despici, ab his summoveri poetae iniquum videtur. Hic poeta facere non potest, quin sibi parvo deverticulo satisfaciat et foedum horum hominum impurorum pallorem notet vv. 42—44 duobus comparationibus allatis[1]. Sequuntur per gradationem[2] duo exempla tutoris perfidi et hominis cuiusdam inani iudicio damnati, a quibus iure deficiente poena repeti non potest et qui populum gregibus comitum premunt. Hic poeta paulum digrediens noto illo more[3] primum verba „inani iudicio" explanat interrogatione „quid enim salvis infamia nummis", deinde talis rursus „infamis salvis nummis" exemplum profert Marium provinciae spoliatorem. Uterque igitur fidem foedissime laesit; nam ut pupillus tutori, ita provincia proconsuli commissa erat. Versibus 51—54 poeta exemplorum rapidum cursum interrumpit quattuor interrogationibus legentes ad exordium revocantibus et quasi defatigatus novas vires recolligit talia flagitia digniorem Horatio esse materiem exclamans quam fabulas epicis carminibus identidem retractatas. Priores duae interrogationes ad antecedentia a poeta referuntur, posteriores insequentia inducunt. Versus qui sequuntur inde a v. 52 usque ad v. 80 cumulum praecedentibus ita imponunt, ut flagitiosos homines impudentiam, contumaciam audaciamque quam maximam passim prae se ferre doceant (cf. vv. 55, 60 sq., 63 sq., 72). Atque primum nobis depingit maritum lenonem et nobilem quendam prodigum, qui honorem prorsus neglexerunt, alter domus suae alter maiorum; tamen ad tantam impudentiam procedunt, ut alter palam praemia lenocinii accipiat, alter fas esse putet sibi bonis dissipatis curam cohortis tradi. Artibus Daedali, qui labyrinthum aedificavit et

---

[1] Ceterum in priore comparatione, quam a Vergilio petivit, perspicuum est Iuvenalis studium augendi; nam adiecit anguem „calcibus nudis" premi.

[2] Cf. Bergm. l. c. p. 407.

[3] Cf. Hartm. l. c. p. 19 sq.

UNIVERSITY OF ILLINOIS LIBRARY

alis factis aera pervolabat, opponitur astutia (cf. iteratum illud „doctus“) mariti lenonis, factis Herculis et Diomedis „merita“ prodigi iuvenis. Extrema series initium sumit a v. 63. Postquam signatorem falsi et uxorem veneficam perstrinxit, quorum uterque scelere hereditatem nactus ad divitias et potentiam pervenit, alter falsis tabulis, altera venificio, Iuv. paulum itinere egreditur et digressionem illam inserit vv. 73—76 vehementissime a criticis temptatam [1]. Recte Hartmann, qui novissimus hos versus tractavit (l. c. p. 20), dicit Iuvenalem his versibus 73—76 complecti, quae supra iam pluribus exemplis optimis eum docuisse vidimus, sc. improbissimum quemque maxime proficere. Sed si formam digressionis spectamus, Iuv. hic ἐξεργασίαν [2] adhibuit quae rhetorum in scholis exercebatur. Versus enim 73 sq. „aude aliquid brevibus Gyaris et carcere dignum, si vis esse aliquid“ est chria per σαρκασμόν data. Sequitur argumentatio ἐκ τοῦ ἐναντίου hac sententia generali data: (nam) probitas laudatur et alget; deinde argumentatio ἐκ παραδειγμάτων: criminibus debent hortos praetoria mensas argentum vetus et stantem extra pocula caprum. Sydow hanc digressionem orationis concinnitatem valde perturbare censet et Hartmann haud apte eam ante finitam exemplorum seriem esse perfusam dicit. Sed ego quidem hunc ipsum locum esse aptissimum puto, quo haec digressio inseratur, nam digressione post finitam exemplorum seriem posita verba „si vis esse aliquid“ in proximis versibus (v. 77 sq.) nihil haberent, quo referrentur. Nunc vero poeta ad talem exclamationem coactus esse videtur signatoris falsi et uxoris veneficae divitiis et opibus, quod etiam duae poenae v. 73 nominatae indicant. Nam revera v. 77 sq. ad prorsus aliud pertinent quam antecedentia, cum hic de praemiis nefariorum non iam sermo sit; nisi forte verbo „avarae“ praemium nurus indicari putas; sed hoc verbo vitium potius quam praemium significatur. Itaque cum alia causa praemii omittendi non inveniatur, statuendum est poetam his duobus versibus animos nostros iam ad alteram de vitiis partem

[1] Cf. e. gr. Bergm. l. c. p. 408, Schönaich. l. c. p. 14, Mosengel. l. c. p. 12, Hartm. l. c. p. 20; Teuffel. Stud. p. 424 sqq., ut de Ribbeckio taceam.

[2] Cf. G. Reichelii quaest. progymn. p. 14.

praeparare voluisse. Versum autem 78 unum tantum exemplum continere, i. e. hominem adhuc praetextatum adulterare cum sponsis turpibus censeo[1], ita ut duobus versuum 64—72 exemplis accedant duo altera exempla et totius exemplorum cursus oeconomia supra adumbrata servetur. Versus 79—80 non tam ad vitia paulo ante commemorata[2] quam ad illa omnia inde a v. 22 descripta referendi aptissimum totius huius partis finem adiungunt.

Pars II (vv. 81—146). A versu 81 admodum abrupte incipit altera pars huius saturae multo sane placidior praeclarissimis illis versibus 22—80, qui rapidiore et vehementiore usque cursu profluunt. Cum priore parte in scelera potissimum inique triumphantia et a singulis hominibus, quos aut nominat aut non, commissa invectus sit, versibus 81—146 vitia suorum temporum in universum carpit; quae satirico satis amplam materiam praebere dicit et ex his vitiis avaritiam, effusionem pecuniae, luxuriam divitum indignae clientium condicioni oppositas sibi eligit fusius perstringendas.

Ac primum quidem poeta profitetur omnia hominum *πάθη* inde a Deucalione et Pyrrha farraginem sui libelli esse (vv. 81—86). Postquam homines modo creatos statim *πάθῳ* (*ἐπιθυμίᾳ*) occupari v. 84 facete significavit, quattuor illas Stoicorum perturbationes animi cardinales nominat: votum est idem atque *ἐπιθυμία,* id quod philosophi Romani cupiditatem vel libidinem appellabant; timor = *φόβος*; ira quidem revera cupiditas quaedam est[3], sed poeta hoc nomine *λύπην* significare vult; voluptas = *ἡδονή*. Adiciuntur gaudia et discursus, signa quaedam exteriora atque frequentissima, quae illis perturbationibus efficiuntur[4]. Omnes hae notiones ita sunt compositae,

---

[1] Eodem modo poeta in v. antecedente nurum turpem a socero adultero seiungere potuisset, sed pressiore hic stilo utebatur. Cf. sat. III 219: libros et forulos . . . VI 157 sq. et Schoenaichii adn. ad. h. l., l. c. p. 32.

[2] Falso Kappelmacher l. c. p. 190 versus 79 sq. ad vv. 51—78 tantum pertinere putat.

[3] Cf. Zeller, hist. philos. Graec., III 1^4, p. 236 adn. 1.

[4] Cf. Cic. Tusc., IV 7, 15.

ut binae inter se oppositae coniungerentur. Deinde versibus 87—146 Iuv. copiam vitiorum suis ipsis temporibus esse uberrimam demonstrat. Postquam vv. 87—93 avaritiam, i. e. acquirendi cupiditatem, et effusionem pecuniae exemplo aleatoris illustratam, duo vitia contraria, notavit, luxum divitum perstringit a maiorum moribus alienum, cui apte opponere potest miseram clientium condicionem in ordine diei conspicuam, sicut supra effusioni domini servum frigore rigentem opposuit (94—146). Quod Iuv. bonam partem (95—126) huius saturae, quae aperte praefationis loco praemissa est, sportulae descriptione implevit, a multis[1] vituperatum est; at primum sportulae descriptio non digressio est, sed clientium ordini diei tribuenda (cf. v. 128); haec autem descriptio ordinis diei ut specimen saturae suae a Iuvenale inserta mihi quidem minime a primae saturae ratione abhorrere videtur. Qui ordo diei, quem se describere poeta v. 127 demum, media in expositione item ac sextae saturae v. 474, enuntiat, tribus locis continetur, quorum primus est de sportula, secundus de comitatu, tertius de cena clientium et patroni. Symmetria quaedam eo efficitur, quod primus et tertius locus fusius, alter[2] paucis tractatur. Incipit igitur haec saturae pars (94—146) ab immoderato divitum luxu, cuius duo genera poeta profert: aedificandi furorem et gulam insatiabilem cum *μονοφαγίᾳ* coniunctam, quae vitia avis ignota fuerint. Deinde v. 95 sq. de sportula dicere sibi proponit. Petentes inspiciuntur et evocantur, non solum pauperes clientes sed etiam Troiugenae. Nunc exspectamus fore, ut uterque opponatur. Sed studio contraria iuxta ponendi commotus Iuv. etiam Troiugenas alio postponi fingit. Primum igitur singulam imaginem in evocatione conspiciendam nobis proponit opponens Troiugenis libertinum quendam divitem (101—109), deinde (109—116) libertinum

---

[1] Cf. Sydow, l. c. p. 28; Friedlaender, p. 49, 128; Hartmann, l. c. p. 21. — Contrariam partem iure obtinet Reitzenstein; l. c., p. 28; sed iniuria Iuvenalem eruditos tantum et carmina pangentes clientes dicere existimat, quod poeta nullo loco huius quidem saturae indicat.

[2] Iniuria igitur Christ Münch. Sitzber. 1897 versus 127—131 postea a poeta adscriptos esse censet.

praeferri indignatur, tum ad priorem oppositionem reversus Troiugenarum et pauperum clientium rationes indignationis plenus comparat (117—120), postremo (121—126) rursus singulas imagines per gradationem (uxor languida, praegnas, absens) profert, quanta avaritia Troiugenae sportulam venentur (cf. v. 100 vexant limen) describens. Quam apta symmetria sic orta sit, nemo non videt. Ceterum poeta illum libertinum dicentem fingit se etiam homines ditissimos opibus superare, quamquam e. v. 106 colligi potest eum ne quadragesimam quidem partem divitiarum Pallantis possidere. Gercke, vir doctissimus, Iuvenalem hic augendi cupiditate illa abreptum esse censet. Sed mea quidem sententia hoc non solum cupiditati amplificandi tribuendum est, sed aliqua ex parte etiam consilio poetae quippe qui libertinum etiam *ἀλαζόνα* esse demonstrare voluerit.

V. 127 Iuv. a salutatione, in qua sportula distribuebatur, ad alterum clientium officium transit, ad comitatum iam v. 119 (comites) praeparatum. Hartmann, l. c. p. 26, versus 127—131 ad salutatores illos nobiles, non ad clientes dominum in forum comitantes pertinere putat. Haec sententia primo obtutu novitate magis quam veritate arridet. Nam si paulo accuratius respicis totam hanc saturae partem, non est veri simile Iuvenalem in misera clientium condicione depingenda, quod ad propositum semper redit (cf. v. 100 sq., 117—120, 132 sqq.), quo ordine diei nobiles utantur, exponere; aptissime dicit pauperes clientes a nobilibus aemulis in sportulae distributione premi et hoc fusius tractat, sed cur dicat de nobilium negotiis forensibus, quae quid iniqui clientibus divitis patroni afferant equidem non video?

Concludit poeta hanc partem atque simul ordinem diei cenam clientium cum cena patroni, ad quam illi a foro lassi reversi non invitati sunt, comparans. Defertur igitur poeta ordinem diei sequens re ipsa rursus ad luxuriam et gulositatem cum *μονοφαγίᾳ* coniunctam, unde initium cepit v. 94 sq.; sed aedificandi furoris loco hic in transcursu perstringit insanum mensarum pretiosarum luxum. Vv. 142—146 Iuv. sibi satisfacit poena divitis addita, cuius subita morte apte altera pars finitur.

Perorationis (vv. 147—171) initium arctissime cohaeret cum alterius partis sententia, qua numquam vitiorum copiam uberiorem fore poeta profitetur (v. 87). Iuvenali quidem satis ampla materia data est ad vitia perstringenda, quae in praecipiti steterunt; sed ab interlocutore quodam, quo Lucilius quoque et Horatius et Persius usi sunt, hoc propositum valde periculosum esse sibi persuaderi fingit, postquam rursus scelerum inique triumphantium (v. 158 sq.; cf. totam priorem partem saturae) et carminum epicorum (v. 162 sqq.; cf exordium et vv. 51 sqq.) mentionem fecit, quae carmina cur spernat saturasque potius scribat hac prima satura exponit. Poetae igitur arte factum est, ut quasi singula momenta cognoscere possimus, quae Iuvenalis in consilio capiendo saturas scribendi „in illos, quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina“ animo percurrit. Nam exordio demonstrat in universum se poematibus componendis assiduas poetarum declamationes ulcisci velle, maxima parte saturae, cur non alia poemata sed saturas scribat, peroratione, cur mortuos tantum perstringat; consilium igitur suum angustioribus semper finibus restringit.

Satura II.

Secunda satura Iuvenalis perstringit virorum foedissimam mollitiam, libidines impudentiamque (cf. v. 47), qui muliebria patiuntur et faciunt, cum pristinam virtutem et philosophorum habitum atque tristitiam simulent. Hoc quidem primi tres versus, qui propositionis vice funguntur, indicant, quibus poeta se in eos „qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt“ invecturum esse profitetur. Sed videamus, quatenus sibi in hoc proposito constiterit.

In duas partes hanc saturam dividere possumus, quas epilogus (vv. 149—179) sequitur. Priore parte (vv. 1—63) Iuv. nobis depingit eos, qui Stoicae quidem virtutis speciem cum in habitu tum in verbis prae se ferunt ceterorumque vitia

acriter castigant, sed revera molles, effeminati turpissimisque libidinibus dediti sunt. Hos viros nobiles esse e. gr. Friedlaender contendit; sed e verbis Iuvenalis (Curios simulant, fictos Scauros) hoc concludi non potest (cf. Mart. VII 58). In quos partim ipse (vv. 1—35) partim Laroniae ore usus vehementer invehitur. Cum Laroniae verbis perterriti Stoicidae se defendere non audeant, poeta ipse in altera parte (vv. 64—148) quattuor exempla graviorum etiam vitiorum profert. Hic quidem revera in nobiles invehitur (cf. e. gr. v. 67, 99, 129, 145). Ac primum quidem perstringit Creticum, qui accusator multiciis indutus frequentissimo in conventu in moechas quasdam perorat, „acrem et indomitum libertatisque magistrum." Hic igitur non iam habitu, sed verbis tantum Stoicam virtutem simulat. In secundo exemplo, quo orgia Bonae Deae nobis ante oculos ponit, hos viros effeminatos ceterorum vitia castigare et virtutis speciem prae se ferre non apertis verbis dicitur. Sed cum Creticum horum mollium in ordinem aliquando receptum iri dicat et verbum Bacchanalium (v. 3) ad haec potissimum orgia pertinere videatur, facile virtutis simulationem etiam his in muliebrem morem se gerentibus dabis. In duobus „monstris" (v. 143) quae sequuntur omnino nihil simulationis invenimus. Tantum igitur statuere possumus Iuvenalem inde a v. 82 non iam de virtutis simulatione loqui atque hoc suo iure; nempe priore parte in Stoicidas invehitur, qui virtutem nobilissimorum illorum virorum, Curiorum et Scaurorum, simulant, revera autem muliebria patiuntur et faciunt; altera parte hos minus vituperandos esse (cf. v. 65 sq.) ostendit quam nobiles ipsos, qui non modo illa exempla virtutis e suo ordine orta non aemulentur, sed multo turpiora illis Stoicidis committant. Nam mea quidem sententia poeta his alterius partis exemplis singula Laroniae crimina auget; unguentorum mollitiam (v. 40 sq.) vestium perlucentium mollitia, muliebria virorum studia vv. 54—57 commemorata sacris Bonae Deae sinistro more usurpatis, pathicorum morbum (v. 44, 58 sqq.) Gracchi monstrosis nuptiis amplificans. Versus quoque 143—148 a criticis vehementer temptatos amplificationem continere versus 53 et mulierum exercitationibus

athleticis viros in vera arena versantes (cf. sat. VI 246—51) opponi crediderim.

Pars I (vv. 1—63). His in universum praemissis ad singula accedamus. Priore loco (vv. 1—35) partis prioris poeta accuratam descriptionem dat turpissimorum virorum Stoicae virtutis speciem prae se ferentium. Propositione data vv. 1—3 versibus 4—15 quinque[1] notas profert in nulla nisi in prima (v. 4) nomine numerali utens. E quibus quattuor extremae artius sunt coniungendae et a prima secernendae, in qua sola vera natura (indocti) ante, non post simulatam (plena omnia gypso) ponatur. Hae quattuor notae sunt tristitia turpitudini et hispida membra podici levi opposita, rarus sermo et coma brevis, quae opposito carent. Videmus igitur a poeta animi et corporis qualitates alternas positas esse. Deinde Iuv. viris hoc modo notatis opponit Peribomium; cuius vultum contrarium facit tristi illorum fronti insuper addens novam notam incessus; quibus notis accurate respondent tristia verba (cf. v. 9) et clunium motus Sexti. Sexto commemorato, qui iniuria in Varillos invehitur, poeta adducitur, ut quo quisque malo affectus sit, id ab eo aliis non obiciendum esse octo exemplis comprobet, quorum duo priora corporis vitia, sex posteriora scelera a viris in re publica versantibus commissa perstringunt. Haec sex exempla aliquatenus ad ordinem temporis disposita sunt; nam a temporibus Gracchorum incipiens Iuv. ad eventa temporis Ciceroniani transit et finit enumerationem secundo triumviratu; illas autem quattuor causas ad Ciceronem pertinentes ita collocavit, ut frustra actas (Milo, Clodius) iis quae prospere evenerunt (Verres, Catilina) includeret. Postremo Iuv. Domitiani moechi exemplum profert, cui cum Clodio moecho adulterium et cum Sexto pathico virtutis simulatio communis est. Versibus 34 sq. apte Iuv. praeparat verba Laroniae (36—63), quae fictos Scauros contemnit et castigata remordet.

Alter locus cum priore coniunctus est lege Iuliā, quam Domitianus renovavit, Stoicus quidam desiderat. Huic Stoico Laronia respondet ἀντικατηγορίᾳ usa et eum, post ironicam

[1] Tres tantum esse notas falso Gylling dicit (l. c. p. 17).

laudem[1] se revocans (v. 40 sed tamen), unguendi mollitiae convincit (36—42), deinde verba eius respiciens, qui feminis adulterandi studium opprobrio dedit (v. 37), viris paedicandi libidinem obicit. Tum sequitur *σύγκρισις* mulierum et virorum (vv. 44—57); bis Iuv. eos inter se opponit, primum certis nominibus usus, tum in universum: mulieres aut lambuntur a feminis aut lambunt, sed non utroque morbo pallent, viri autem et paedicantur et paedicant; mulieres non virorum studia usurpant (iudicium, iurisprudentia, forum, ars athletica), sed viri muliebria faciunt (lanam trahere, filum torquere). Postremo Laronia exemplum dat mariti pathici (vv. 58—61), qui uxorem suam neglegit, et interrogatione (v. 62) atque sententia generali orationem suam concludit. Ceterum eodem modo, exemplo et interrogatione, poeta finit priorem locum (cf. vv. 29—35).

Pars II (64—148). Altera parte poeta confirmare vult Laroniae in viros crimina quattuor exemplis allatis, quae gradatim ad cumulum ascendunt; quorum primum et extremum singula facta et palam conspicienda nobilium virorum describunt, qui omni pudore adeo carent, ut perlucente toga vel sola tunica vestiti populo se ostendant, hic in amphitheatro ille in foro. Altera duo exempla quae media sunt interposita, maiores et secretos apparatus sacrorum et nuptiarum nobis ante oculos ponunt; in his poeta virorum libidines perversas castigat. Praeterea duo priora exempla ad Creticum, duo posteriora ad Gracchum referuntur. Ita totius huius partis oeconomiam adumbramus. Hoc sane concedendum est quartum exemplum a ceteris, quae omnia mollitiam quandam perstringunt, abhorrere et impudentiam tantum castigare. Tamen, cum aliquo modo primo exemplo respondeat, non plane a saturae proposito est alienum. Iniuria igitur Ribbeck (l. c. p. 104) et Gylling (l. c. p. 17sq.) versus 143—148 eiciunt; neque iis assentiri possum, qui hos versus defendunt digressionis commodo auxilio atque in Iuvenale saepius usurpato usi, velut Lupus (l. c. p. 27),

[1] Ad. v. 38 „felicia tempora, quae te moribus opponunt“ conferas quaeso Prop. II 32, 43 „O nimium nostro felicem tempore Romam, si contra mores una puella facit.“

Schoenaich (l. c. p. 25 sq.), Smit (l. c. p. 22). Sed haec hactenus; postea alia adicienda sunt.

Nunc in singula quaedam inquiramus. Ac primum quidem de v. 76 pauca dicam, qui ab editoribus nondum recte est enarratus. Nam Weidner e verbis „quaero an deceant multicia testem" concludere videtur Creticum testem esse nec non Friedlaender hunc versum ad Creticum pertinere putat, sed Creticum accusatorem esse (cf. v. 67 sq. perores in Proculas) non ignarus, testem exempli gratia electum esse censet ex omnibus viris, qui in iudiciis versantur. Sed haec verba non ad Creticum referenda, sed cum antecedentibus arte sunt coniungenda; nempe Iuv. per tres gradus honoris descendit: a magistratu (cf. v. 72: leges ac iura ferentem) ad iudicem, a iudice ad testem; in his omnibus talem habitum esse vituperandum, nam ne testem quidem multicia decere. Deinde sequitur descriptio sacrorum Bonae Deae, cum priore exemplo artificiose coniuncta non solum gradatione (foedius v. 82), sed etiam fictione Creticum in horum mollium ordinem aliquando receptum iri. Orgia primum in universum describit (vv. 83—92) tres res notans: habitum muliebrem, sacrificia, morem mulieres excludendi. Deinde primam notam, habitum delicatum et muliebrem, fusius tractat tres ex numero horum effeminatorum nobis ante oculos ponens (vv. 93—101). Tertii speculo cum Othonis comparato parva digressione vv. 102—109 mollitiam Othonis, summi ducis, irridet. Tum, quasi nihil interiecisset, ad generalem descriptionem rediens turpem loquendi libertatem castigat et postremo sacrorum antistitem, senem fanaticum, depingit, quem effectus causa in fine collocavit.

Versibus 115 sq. poeta apte transit ad gravius genus vitiorum, nuptias virorum cum viris (vv. 117—142). Sententiam huius interrogationis Gylling (l. c. p. 19) recte mihi sic expressisse videtur: „Quin isti nefarii prorsus desinunt esse viri, quoniam festa mulierum in honorem Bonae Deae libentissime imitantur? Nam revera eos usque eo audaciae procedere videmus, ut tamquam feminae nubant." Ac primum quidem describuntur Gracchi cum cornicine nuptiae (vv. 117—132), cum Iuv. alternis vicibus singulas nuptiarum res profert (v. 119 sq. 124, 129) et

indignationem suam effundit (120—123, 125—128, 130—132). Friedlaender has non fuisse veras nuptias, sed Gracchum in spectaculo tantum sponsae partes suscepisse existimat; quod si ita esset, re vera hic locus cum sequente, qui est de Graccho gladiatore, melius consentiret. Nam eodem modo in satura octava eis nobilibus, qui in scaenam prodeunt, per gradationem adiunguntur nobiles gladiatores. Quamquam igitur Friedlaenderi sententia primo obtutu arridet, tamen reicienda est. Nam si Iuv. nuptias nihil nisi spectaculum fuisse dicere voluisset, hoc declarandum verbis, non divinationi relinquendum erat. Huc accedit, quod vix in scaena „ingens cena“ sedere potuit. Sed Iuvenalem de veris nuptiis cogitasse insuper luce clarius fit versibus qui sequuntur 132—142. Gracchi enim exemplum augens vv. 132—136 de talibus nuptiis palam homines colloqui et optare, ut in acta referantur, poeta adicit. Postremo nubentium tormentum commemorat, quod partu maritos retinere nequeant (vv. 137—142). In hoc Iuvenalem incidisse non mirum; nam Bona Dea, cuius secreta supra descripserat, fecunditatem feminis praebere putabatur et matrimonia a Romanis inibantur liberorum tantum procreandorum causa.

De quarto exemplo Gracchi gladiatoris nonnulla iam diximus. Antecedentibus adiungitur gradationis forma, in qua multi critici offenderunt. Certe nos virorum cum viris nuptias foediore facinore superari non posse putamus. Sed recte Mosengel (l. c. p. 13 sq.) dicit poetam vv. 117—142 in vitium domesticis parietibus inclusum invehi, versibus qui sequuntur insectari vitium in publicum prodiens. Praeterea in nuptiis Gracchus longo habitu et flammeo est velatus, in amphitheatro nudus est et sine galea, ut ab omnibus cognosci possit. Hoc certe tenendum est, Iuvenali Gracchum gladiatorem maius „monstrum“ esse magisque a naturae ordine abhorrere visum esse quam Gracchum sponsam.

Epilogus, quo poeta ad simulatam virtutem, unde progressus erat, non redit, in duas partes est dividendus. In priore (vv. 149—158) Iuv., qui iam v. 3, 35, 72 sqq. veterum Romanorum mentionem fecit, exponit, quid clarissimorum Roma-

norum umbrae, verae virtutis exempla, de talibus turpissimis advenis sentiant. Atque heroas, quos laudat, ita disposuit, ut primis quattuor nominibus victorias, duobus extremis clades significet. His sex nominibus quinque potissimum bella notantur: Curio et Fabricio Tarentinum, Scipiadis et Cannis secundum et tertium Punicum, Camillo et Cremera Veientinum et Gallicum. Iuv. autem bina illa nomina, quae idem bellum aut idem fere tempus significant, minime coniunxit, sed hoc potius ordine utitur: Tarentum — Carthago (II. et III.), Tarentum — Veii (et Galli), Veii — Carthago (II.). A medio igitur bello bis incipiens primum ad recentius bellum progreditur, deinde illa vetustatis bella repetit et postremo totum inter bella maximo intervallo separata temporis spatium complectitur. Hoc ordine poeta consequi vult, ut revera „tot bella“ esse videantur. Altera parte (vv. 159—170) Romanorum turpitudini integritatem populorum subactorum opponit, quod — alio quidem modo — iam v. 108sq. fecit, et mores hominum, qui ex aliis terris Romam venerint, corrumpi Zalacis exemplo pueri pro obside missi ostendit. Ceterum miror recentiores editores, e. gr. Leonem, in versibus 166—170 enarrandis rectam et perlucidam interpretationem veterum editorum sequi noluisse. Nempe hoc modo hic locus interpretandus est: Obsides (subiectum enim verborum „mittentur“[1] et „referunt“ item ac subiectum verbi „fiunt“ ex obside v. 166 nominato facile suppleri potest), si mora longior urbem eis indulsit, tam corrupti et salaces fient, ut non unquam (sic!) amatore carere velint, simulque exuent patrium cultum a muliebribus moribus abhorrentem (mittentur = omittentur). Utramque rem, et mores corruptos et cultus mutationem, poeta v. 170 brevi comprehendit, cum obsides „praetextatos mores“ Artaxata referre dicit. Non igitur est, quod cum Housmano post v. 169 hanc sententiam excidisse putemus: sument muliebres Romanosque cultus; nam novus puerorum cultus verbo „praetextatos“ satis aperte significatur.

[1] Non amator subiectum est; cf. similem locum sat. VI, 365, 1 sqq. (professus obscaenum, permittunt).

Satura III.

Tertia satura Iuv., quae incommoda Romae honesto simulque pauperi homini perferenda sint, vividis coloribus depingit Umbricium quendam ea incommoda causas proferre fingens, cur Roma Cumas emigret.

Caput saturae indicatur versibus 6—9 et 21—24 et scite poeta sic instituit, ut Umbricium non omnia incommoda propositione enumerantem induceret, sed maximas duas saturae partes significans alteram causam versibus 6—9 ipse commemoraret, primam ab Umbricio versibus 21—24 adumbrari faceret. Minime igitur assentiri possum Gyllingio vv. 6—9 iniquo aliquo casu et inepte a poeta esse insertos dicenti (l. c. p. 25). Atque quae vv. 6—9 indicantur inde a v. 190 usque ad v. 314 tractantur ordine paulum mutato: lapsus tectorum assidui vv. 190—196, incendia vv. 197—231, mille pericula saevae urbis vv. 232—314. Quod Gylling miratur Iuvenalem de recitationibus postea non disputare (cf. tamen v. 42), hoc mihi quidem mirum non videtur. Nempe ut saepius[1] enumerationem finit poeta festive aliquod et ἀπροσδοκήτως dictum adiciens; praeterea Iuv. vv. 5—9 de se ipso loquitur et exponit, cur vel Prochytam Suburae praeponat; poetarum igitur recitationes ad Iuvenalem tantum, non ad Umbricium, pertinent. In versibus autem 21—24 verba „artibus honestis nullus in urbe locus, nulla emolumenta laborum“ ad totam priorem partem (vv. 21—189) pertinent[2], cum verba quae sequuntur „res hodie minor est here quam fuit atque eadem cras deteret exiguis aliquid“ ad versus potissimum 164—189 referenda sint, quibus caritas rerum victusque sumptuosus describitur.

His praemissis iam satis firmum nobis fundamentum iecisse videmur, in quo totam huius saturae dispositionem exstruamus. Iam supra obiter significavi saturam in duas partes dividendam

[1] Cf. Hartm., l. c.p. 46 adn. 1.

[2] His igitur verbis non propositio minoris loci (vv. 21—57) datur, cuius propria propositio, quam sequens locus habet (v. 58 sqq.), non exstat, sed totius primae partis (vv. 21—189).

esse. Atque prima parte demonstratur honestos homines atque eosdem pauperes nullo modo Romae emergere posse, altera hoc discrimine inter pauperes honestos et inhonestos non facto quae varia pericula die noctuque pauperibus in universum immineant poeta ostendit. Hanc saturae rationem non perspexit Gylling, qui vv. 21—57 homines honestos, sive pauperes sive divites sint, opponi inhonestis, ceteris versibus pauperes divitibus dicit (l. c. p. 24). Nempe vv. 29—40 poeta loquitur de hominibus pauperibus, qui inhonestis artibus „magna ad fastigia rerum“ pervenerunt, atque inde a v. 41 artes enumerat, quibus pauperes Romae emergere et divitibus placere possint, nisi forte divites mandata adulteri ad nuptam ferre putas. Hos pauperes autem in prima parte etiam honestos intellegi se velle poeta ipse significat saepius ad hoc propositum rediens; velut inhonestos Syros et Graecos opponit vv. 60—68, 76sq., 104—108 (cf. v. 41sq.), 109sqq., 113 (cf. v. 49sq.) aut lenonum, praeconum, gladiatorum pueros vv. 155—158 nec non versibus 137, 164sq., 189 hoc indicare mihi videtur.

Quoniam de totius saturae ratione disputavimus, singula quaedam addamus; nam multum iam Hartmann profecit in sententiarum cursu enarrando.

V. 69sq. Iuv. profert sex nomina oppidorum Graecorum, quorum bina coniungenda sunt; intericiuntur enim inter duo oppida Graecae continentis et duo oppida Asiae minoris duae insulae, quarum altera ad continentem altera ad Asiam pertinet. Vv. 73—80 Iuv. ostendit Graecos omnes artes factitare; nam „grammaticus rhetor geometres pictor aliptes | augur schoenobates medicus magus, omnia novit | Graeculus esuriens“. Qua in enumeratione initio grammaticum et rhetorem, in fine medicum et magum coniunxit; ceteras artes sine ordine profert, ut quam plurimae esse videantur. Schoenobati potissimum per gradationem addit Graeculum in caelum euntem, cuius rei exemplum profert Daedalum.

V. 86 Iuv. formula „quid, quod“ proprie rhetorica transit ad adulationem (86—91) et assentationem (100—103) Graecorum describendam, quas artes inter se coniungit singulari eorum

arte ludicra, qua ut sibi credatur efficiunt[1] (92—100). Adulandi sollertiam eorum quattuor exemplis illustrat, quorum primo animi, ceteris corporis potius qualitates laudantur. His respondent quattuor exempla assentationis, quae sic disposuit, ut contraria opponerentur (risus — lacrimae, bruma — aestus).

Optime poeta ab obscaenis rebus v. 107 sq. commemoratis transit ad libidines Graecorum. Familiam, in quam Graeculi grassantur, poeta in feminas et viros dividit avia addita cetera augens. Sed quod Hartmann l. c. p. 40 familiam per vim corrumpi existimat, ego quidem singulari potius insinuandi arte hoc fieri censeo, cum vis proposito Graeculorum, qui secretis compertis magnarum domuum viscera fieri volunt, obesse videatur. Postquam praecedenti gradationi (Graeci sollertes 69—85, adulatores 86—108, libidinosi 109—113) Stoico delatore nominato (114—118) cumulum attulit, vv. 119—125 finem totius huius loci adiungit apte nomina quaedam Graecorum proferens ut initio (v. 69 sq.) oppidorum. Per ironiam Romano opponuntur Graeci, quos vel nobilissima nomina commendant. Weidner haec nomina e libro quodam a Iuvenale petita esse existimat; sed mea quidem sententia poeta ea potissimum nomina elegit, quae regnum horum hominum significarent (Protogenes, Diphilus, Hermarchus).

Vv. 126—189 sequitur tertius locus ut secundus quadripertitus (126—136, 137—146, 147—163, 164—189), quo quae detrimenta pauperi e pecuniae potentia atque auctoritate accidant exponitur. Atque aptissime Iuv., cum clientium modo v. 125 mentio sit facta, ab alio clientelae incommodo incipit e nobilibus Romanis oriente, qui clientis merita, sc. salutationem et comitatum, imminuunt ita se abicientes, ut nummorum nitore adducti ipsi quoque salutatores fiant aut divitis adulteri[2] servum prosequantur[3] (126—134).

---

[1] Bergmuellero (l. c. p. 431) vv. 93 sqq. antecedentia in v. 92 probari neganti assentiri non possum.

[2] Hoc versu 132 sq. sententiam quae inest v. 140 leviter iam antea significari recte Bergmueller l. c. monet.

[3] Iniuria igitur Hartm. l. c. p. 58—60 vv. 126—130 et 131—136 duas esse egressiones dicit; nempe optime hi versus cum huius loci pro-

Ceterum neque editores neque Hartmann l. c. p. 55 v. 184 sqq. mihi recte enarrasse videntur; hoc potius modo versus interpretandi sunt: Primum clientes servos pecunia corrumpere debent, ut ad superbos patronos salutandos, e quibus e. gr. nominantur Cossus et Veiento, omnino admittantur; deinde (gradatio!) admissis accidere potest, ut iterum pecuniam „cultis servis“ solvere cogantur atque id pro libis, quae impudici patroni (pronomina enim ille et hic non ad Cossum et Veientonem referenda sunt) barbae vel crinis depositionem amati celebrantes coqui iusserunt.

In altera parte (190—314) de variis urbis periculis agitur, quae pauperibus in universum imminent; ad haec pericula, quae vv. 7—9 significavit, Iuv. nunc subito transit omni iunctura omissa, nisi quod ruris et Romae oppositionem vv. 169—179 incohatam persequitur. Atque si res ipsas spectamus, primo obtutu haec pars tripertita esse videtur: nam primum de aedium periculis (191—231), deinde (232—267) de vicorum tumultu atque turba commeantium, postremo (268—314) de variis periculis noctis poeta loquitur. Sed si internam potius rationem disponendi consideramus, dispositionem esse multo artificiosiorem totamque hanc partem simul bipertitam esse cognoscimus. Nam vv. 190—231 quae pericula domi pauperibus impendeant eosque somno privent (vv. 196—198) exponit, versibus autem 239—314 quae ambulantibus die (239—267) vel noctu (268—314 accidant. Inter has duas partes Iuv. aptissime inseruit, facilius ut transiret, versus 232—238, qui si rem spectas cum sequentibus (de vicorum tumultu) sunt coniungendi, sin sententiarum processum modo commemoràtum, nocturno ruinarum et incendiorum metui alteram causam adnectunt, cur pauperes domi dormire nequeant. Haec vero dispositio disturbatur ab eo, qui cum Hartmanno (l. c. p. 53) vv. 302—308 de periculis esse arbitratur, quibus domi petuntur urbani. Hanc ad sententiam Hartmann adductus esse videtur falsa versuum 302—305 interpretatione. Nam ne furem effractarium hunc spoliatorem

---

posito consentiunt. Sane ingenuorum filius pauperi non aemulus est, sed ut praetores salutationis meritum, sic hic comitandi imminuit.

intellegeret, vel similes loci a Mayore laudati eum prohibere debebant (Tibull. I 2, 24sq: en ego cum tenebris tota vagor anxius urbe | nec sinit (sc. Venus) occurrat quisquam, qui corpora ferro vulneret aut rapta praemia veste petat. — [Verg.] eleg. in obit. Maecen. v. 27sq: num tibi non tutas fecit in urbe vias? nocte sub obscura quis te spoliavit amantem? quis tetigit ferro, durior ipse, latus?). Verbis autem „clausis domibus, postquam omnis ubique fixa catenatae siluit compago tabernae“ poeta tempus tantum significat, quo spoliatus auxilium iam non sperare potest.

In enumeratione earum rerum, quas diviti opitulandi studiosi adferunt v. 215sqq., poeta in initio (marmora, impensae) et in fine (argentum) opes od novas aedes exstruendas maxime necessarias, in medio res ad aedes ornandas idoneas posuit (statuas marmoreas et aeneas, alia ornamenta, forulos libris refertos dimidiaque Minerva exornatos). Hartmanno (l. c. p. 58), qui oppositionem inter vilem Codri suppellectilem et pretiosissima illa, quae Asturico diviti dono donantur, ad singula persequi vult, in libris et forulis quidem assentior; hic addere mihi liceat Iuvenalem pauperem libellos ipsos, divitem extera potius ornamenta maioris aestimantem induxisse mihi videri. Totam hanc de aedium periculis partem poeta concludit consilio Umbricii rus migrandi, ubi minoris et melius habitetur (cf v. 166); haut inepte igitur finis huius loci (223—231) ad initium (v. 190sqq.) redit, cuius quattuor oppidis hic tria alia: Sora, Frusino, Frabateria adduntur.

Secundus locus in vicorum tumultu atque turba commeantium versatur. Atque primum poeta id incommodum exponit, quod noctu viarum strepitu pauperibus affertur, insomniam; de horum versuum (vv. 232—238) ratione iam supra est disputatum, sed nunc nonnulla addenda. Facile Iuv. ad hos versus transit oppositionis opera: nempe opponit domui ruri emptae meritoria urbis (quae quidem altera ex parte divitum aedibus contraria facit), sanis et uberrimis ruris fructibus, quibus pauper contentus et felix vivere potest, miserum victum urbanorum pauperum, quo aeger factus „plurimus moritur.“ Hoc noctis

incommodo praemisso Iuv. ad ea incommoda atque pericula transit vividis coloribus depingenda, quae pauperem exspectant in vicorum tumultum se immiscere ausum. Atque rursus divitem pauperi opponit, utrumque salutandi officio fungi velle fingens, divitem scilicet post longum placidumque soporem, pauperem post noctem insomnia actam. Haec latens sententia ad transeundum satis fuisset; sed poeta etiam alteram iuncturam aperte inseruit et divitem in lectica quoque somnum continuare posse adicit. Nam cum dives per multitudinem securus vehatur „cedente turba“ et celeriter, pauperi properanti varia incommoda imminent, quae poeta enumerat a levioribus incommodis per gradationem ad capitis pericula ascendens. Atque vide quanta arte singula inter se opposuerit. Unda prior properanti obstat, populus qui sequitur lumbos premit (243—245). Supra ictus cubitorum variarumque rerum patitur, infra luto aspergitur et calcatur (245—248).

Brevis epilogus, cuius initium (v. 315) rhetoricam finiendae explicationis artem redolet[1], ad exordium redit (cf. v. 316sq. cum v. 10sq.).

Satura IV.

Quarta satura viris doctis satis largam quaerendi materiam praebuit; acerrima enim censura a criticis vexati sunt versus 1—36, e quibus quale iudicium de tota satura faciendum sit, pendet. Ne nunc quidem de hac quaestione, possitne defendi integritas totius saturae an primi 36 versus a sequentibus omnino seiungendi sint, viri docti ad finem dubitationis expertem venerunt. Ribbeck (l. c. p. 76sqq.) hos versus spurios esse iudicavit. Gylling (l. c. p. 40sqq.) versus 1—27 Iuvenali esse tribuendos, sed non cum sequentibus coniungendos censet eosque vestigia dicit saturae cuiusdam a Iuvenale in Crispinum olim incohatae sed non perfectae; versus autem 28sqq. a primo editore Iuvenalis esse additos. Weidner versus 1—36 non damnat, sed partem

[1] Cf. Bergm. l. c. p. 433.

incohatae saturae (vv. 1—33) versibus 34—36 casu quodam infelici cum sequentibus esse coniunctam censet. Contrarias autem partes primus sumpsit Naegelsbach l. c. p. 469 sqq. et saturam esse simplicem et unam docere conatus est; nam cum prior pars in aulici cuiusdam descriptione versetur, altera explicari, quomodo tam abiecti homines libidini arbitrioque imperatoris inserviant. Huius pedisequi exstiterunt Bergmueller (l. c. p. 410), Gercke (Gött. gel. Anz. 1896, p. 981), Christ (Sitzgsber. d. Münch. Akad. 1897, p. 127), Schanz (hist. litt. Rom. VIII 2, 2[3], p. 204 adn. 1); Mayor quoque cum taceat, huius partis esse videtur. Has duas sententias inter se conciliabat Friedlaender, qui initium saturae cuiusdam a Iuvenale incohatae (vv. 1—27) a Iuvenale ipso vv. 28—36 cum narratione a v. 37 incipiente esse coniunctas putat. Equidem hanc saturam esse simplicem et unam mihi persuasi. Nam quod primis viginti septem versibus totam de Crispino saturam promitti dicunt, hoc tantum concedendum est Crispinum a ceteris aulicis manifesto distingui. Quod cur a poeta sit factum, facile potest explicari. Animo enim poetae Domitianum eiusque aulam lepida illa narratione (vv. 37—149) illustraturi piscis emptionem Crispini obici necesse erat ut aliquid consimile et idoneum, quo uteretur exordio, praesertim cum sic, quo erat gradationis amore, ab aulico ad imperatorem ipsum progredi posset. At quaerat quis atque id suo iure, cur Iuv. piscis emptione non contentus primis decem versibus scelestos mores Crispini describat. Possum hic in partem vocare legem illam poeticae artis, qua mores alicuius hominis tum uberius depinguntur, cum lectoris hoc comperire maxime interest: sicut postea Montanum tum demum fusius describi videbimus, cum sententia eius victrice studium lectoris ad eum conversum est, sic vice versa Crispinum nostrum iam antea pluribus verbis depingit poeta in exordio, cui piscis emptionem Crispini castigandam tribuerat, et in singulorum aulicorum enumeratione ei mollitiae notam solam inurit, quod iam in prima satura (v. 26 sqq.) fecerat. Sed hoc modo res non plane absolvitur, cum Iuv. piscis quoque emptione sic utatur, ut rem non narret in modum sequentis consilii, sed in

Crispinum invehatur. Itaque alia potius causa afferenda erit ad hanc rationem explicandam; est autem causa cum poetica arte Iuvenalis arcte cohaerens. Nempe Iuv. certe semper studet, ut vitia et scelera, quae perstringit, suis e temporibus hausisse videatur, semperque ita loquitur, tamquam ii, quos carpit, etiamtunc vixerint. Ab hac usitata ratione longa et quasi epica de Domitiano narratio plane abhorrebat. Itaque ne hac ratione omnino spreta legentes minus commoveat, illi narrationi invectivam praemittit, qua Crispinum ut vivum perstringit. Cadit igitur Friedlaenderi (cf. ed. p. 32 sq.) sententia, qui Iuvenalem Crispino non solum ut peregrino atque Aegyptio, sed etiam propria ira offensum fuisse putat; neque enim propria ira scripsit hanc in Crispinum invectivam, sed consilium poetae arti accommodatum. Non scripsi haec ut vellicarem virum de Iuvenale meritissimum; sed illa admodum vaga, quae vir ille doctissimus e propria quam ponit ira concludit l. c. p. 33, nunc etiam incertiora facta esse nemo non videt.

Haud facile vero erat illam invectivam cum lepida de Domitiano eiusque aulicis narratione apte coniungere. Gercke, quem Schanz secutus est, vinculum quo coniungerentur hae duae partes invenisse sibi visus est in versu 11, quo Iuv. scelestis Crispini moribus descriptis (vv. 1—10) ipse se revocat a maleficiorum narratione, quae in aliud tempus differtur, ad „facta leviora". His verbis utramque narrationem et piscis emptionem et consilium imperatoris, indicari. Sed quis, cum in primis decem versibus de Crispino solo sermo sit, in v. 11 imperatoris quoque factum aliquanto postea narratum dici posse putet? ut omittam poetam statim singulari uti; nam „idem" ad facta leviora referendum esse, non ad incestum recte Weidner exposuit. Quod cum ita sit, poetam pro singulari pluralem posuisse ut saepius[1] statuendum est; nam de uno tantum facto Crispini, de piscis emptione, in sequentibus loquitur. Sane duo vincula per se ipsa data erant, piscis (mullus vel rhombus) nec non Crispinus, qui etiam in altera narratione in scaenam pro-

[1] Cf. VI 115, 184, IX 135, XVI 35 sq.

ducitur. Sed poeta ipse vidit non satis esse haec, si saturam aliquatenus simplicem et in se conclusam esse vellet. Itaque tertium vinculum addit vv. 28—33 luxuriam, quam et Crispini factum et Domitiani consilium testantur. Nam Crispini luxuria caro pretio piscis illustratur; imperatoris autem luxuria non tam pretio piscis demonstratur — nam gratis ei donatus est — quam pravo illo modo, quo res mensae ut gravissima publica negotia aguntur (cf. vv. 130—135, 147sqq.; 54sq.) vel potius his negotiis praeferuntur (v. 64) nec non ipsa Crispini aulici descriptione praemissa. Falso igitur in Domitiano non simul luxuriam castigari Weidner putat. Sane poeta hac satura non luxuriam aulici cuiusdam et ipsius imperatoris castigandum sibi proposuit; sed id, quod maxime studet, est potius hoc: una cum imperatore odioso proceres ab eo omni auctoritate et dignitate privatos ridiculos facere. Qua re factum est, ut exordium nobis non satis quadrare videtur ad narrationem sequentem; nam primi 33 versus animum lectoris ad luxuriam tantum (cf. vv. 11—33) Domitiani et ad nequitiam (vv. 1—10) plurimorum aulicorum et Domitiani ipsius praeparant, non ad illum turpem procerum usum. Sed haec inconstantia vix potuit vitari. Postremo primos 27 versus a narratione quae sequitur divellere etiam ultimis huius saturae versibus vetamur; nam apte respondet finis initio. Ut enim Iuv. in initio scelestis moribus Crispini descriptis vv. 18—22 de variis causis disputat, quibus Crispinum commotum esse ut piscem tam caro emeret exspectamus, sic in fine causis, quae tantum consilii apparatum excusarent, v. 144sqq. expositis scelera Domitiani addit; porro et hic (v. 152) et illic (v. 11sqq.) impunitatem commemorat. Primum igitur de sceleribus Crispini locutus adiungit facta leviora v. 11sqq.; his opponit nugas (cf. v. 150) imperatoris et in fine rursus ad scelera ascendit. Haec symmetria symmetriae quam in secunda satura invenimus (cf. p. 21) similis, certe consilio poetae tribuenda est.

Sic saturae integritate defensa simulque vitiis compositionis detectis singularum rerum dispositionem aggrediar.

Primis decem versibus mores Crispini depingi iam supra

dixi: vitiis eius in universum castigatis (1—3) Iuv. in libidinem eius imprimis invehitur, adulterandi studium cum incesto coniungens generali sententia divitiis malum non felicem fieri. Atque vide, quanta arte divitiarum signa (5—7) invenerit et disposuerit; nempe aedificia in initio et in fine enumerationis posuit (aedes, porticus), cum medias intericeret terras vastas (nemora, iugera vicina foro). Finitur exordium iocosa Calliopes et Musarum in universum invocatione. Narratio enim Musarum munus est; quam quod antecedit, est sermo satirici. Eadem epici stili parodia iam v. 29 (induperatorem) praeparata poeta in narratione ipsa utitur (cf e. gr. v. 39 spatium admirabile rhombi et adn. Friedlaenderi, v. 45 cumbae linique magister, v. 65 Atriden, v. 121 belua, v. 126 de temone Britanno, v. 133 Prometheus).

Tota de rhombo Domitiani narratio quae sequitur (vv. 37—149) facile in duas partes dividitur, quarum altera piscis captionem et donationem (vv. 37—71), altera consilium describit, quod Domitianus in villam Albanam convocat (vv. 72—149). Prima pars est quadripertita. Nam primum poeta tempus et locum piscationis captique piscis magnitudinem enarrat (vv. 37—44), deinde vv. 45—56 quibus considerationibus piscator commotus sit, ut piscem imperatori donum afferret, patefacit v. 55 (donabitur ergo) ad illam sententiam unde profectus erat v. 45 rediens. Atque duas causas poeta per gradationem affert, cur delatores piscatorem accusare possint: aut fugitivum piscem dicere aut ad Palfurii et Armillati sententiam confugere possunt, qui „quidquid conspicuum pulchrumque est aequore toto“ rem fisci esse contenderunt. Sequitur laboriosum ad Albanum Domitiani iter (vv. 56—64) et aditus (vv. 65—71).

Deinde poeta verbis „sed derat pisci patinae mensura“, quae accurate adhaerent illi piscatoris cohortationi, ut piscem consumat, ad alteram partem transit, quae ipsa quoque est quadripertita. Evocatione procerum attonitorum descripta (vv. 72—75) mores nobis singulorum depingit versibus 75—118. Atque hos senatores in duas turmas poeta distribuit, quarum altera quinque, altera sex viros continet. Primos quinque

(Pegasum, Crispinum, Acilium cum filio, Rubrium) poeta accurrentes inducit (properabat 76, venit 81, properabat 94, ibat 104) atque fusius singulorum mores denotat. Symmetria quaedam eo efficitur, quod Acilius pater, medius huius seriei, nominatur tantum neque accuratius describitur. Hi quinque viri hoc modo inter se coniunguntur. Pegasus et Crispus sunt duo viri, qui optima quidem voluerunt, sed „sub illa clade et peste“ perficere non poterant. Crispo adiungitur verbis „proximus eiusdem aevi“ Acilius pater, quem necessario sequitur filius, cuius mors praematura Crispi longae vitae opponitur. Cum Acilio Glabrione filio Rubrius coniungitur metu, in quo Glabrio nobilis iure versabatur, Rubrius ignobilis non item. Altera series constat ex his sex viris: Montano Crispino, Pompeio Fusco, Veientone Catullo, quos omnes Iuv. una sententia longa complectitur et quos non iam accurrere sed adesse (v. 107) dicit. Binos semper in hac serie artius coniungendos esse docet usus particulae „et“ (v. 108, 111) vel praepositionis „cum“ (v. 113); praeterea primi duo etiam interna ratione coniuncti sunt; nam in utroque corporis qualitates luxuriam et mollitiam significantes castigantur, a quibus vitiis poeta per gradationem (cf v. 109: saevior) ascendit usque ad „grande monstrum“. Postea in deliberatione ipsa alterius tantum seriei viri loquuntur atque ii, quos in initio ac fine huius seriei ponens poeta a ceteris sic inclusis distinxit; nam Montanum, Veientonem, Catullum inverso ordine producit. Quod Heinrich (ad v. 76) proceres secundum gradum honoris cubiculum imperatoris intrare putat, hoc mihi quidem in primos quinque solos cadere videtur, quamquam quem gradum honoris plerique horum virorum anno circiter p. Chr. n. octogesimo tertio, quo in tempore consilium collocandum est, obtinuerint, ignoramus.

Tum vero inde a v. 119 deliberatio ipsa incipit cum antecedentibus eo coniuncta, quod vir, qui ultimus erat descriptus, primus loquitur. Catullus igitur caecus postquam piscem ridiculum in modum laudavit (vv. 119—122), Veiento piscis magnitudine et peregrino ortu ad divinandum adducitur (vv. 123—128). Nonnullis verbis a poeta interiectis (v. 128sq.)

Montanus imperatore Veientonem sententiam rogante (v. 130) hunc praeoccupat et testam altam parandam figulosque in futurum imperatori secum ducendos esse censet (vv. 130—135). Verba Catulli et Montani moribus a Iuvenale supra (caecus adulator vv. 113—118, abdomine tardus v. 107) notatis accurate respondent; nec non in Veientone res ita se habet, dummodo adiectivum „prudens“ (v. 113) proprio sensu usurpemus. Montani sententia vincit. Poeta postquam hunc consilii eventum enarravit, Montani luxuriam et usum edendi fusius describit, ut sententiam viro dignam esse probet (vv. 136—143). Cur Montani mores hic demum accuratius notentur, iam supra p. 31 explicatum est; itaque non est, quod cum Gyllingio (l. c. p. 49) hanc descriptionem non post v. 107 esse positam miremur. Finitur altera pars vv. 144—149, qui versibus 72—75, i. e. convocationi, respondent et dimissionem huius consilii enarrant, quod Domitianus causa tam levi et ridicula permotus convocaverat.

Sequitur brevis epilogus vv. 150—154, quo Iuv. optat, ut Domitianus talibus nugis, qualis consultatio de rhombo (vv. 72—149), vitam suam dare quam adeo in nobilitatem saevire maluisset, memor earum rerum, quas vv. 84—88, 93, 96sq. de imperatore narravit. Cum nobiles hanc saevitiam non ultos esse dixerit, facile poeta adducitur, ut per ignobiles eum perisse addat. Sic apte tota satura morte Domitiani finitur, non secus atque carmina epica morte primae personae finiri solebant.

Satura VI.

Iam permulti festivitate et elegantia illa gavisi sunt, qua Iuv. in satura sexta feminarum varia vitia depingit vividis sane coloribus; quin etiam non defuerunt, qui Iuvenalis descriptione incitati eum aemularentur sicut Boileau. Imprimis autem viri docti in studium huius saturae incubuerunt; sed ut feminae naturam adeo non esse simplicem dicunt, ut nunquam fere penitus perspiciatur ne a peritissimo quidem mulierum, sic

ratio disponendi, qua Iuv. in hac satura utebatur, etiamnunc densissimis nebulis obtecta esse videtur. Atque hoc praecipue eo factum est, quod viri docti rectam viam a Naegelsbachio (Philol. 3, 1848, p. 469—482) patefactam inire noluerunt; cuius sententia mihi infra defendenda est ab illorum gravissimis ictibus. Est autem haec: versibus 1—285 ait mulieres tamquam maritas describi, vv. 301—661 maritas tamquam feminas; ad fontem vitiorum medium interpositum, quidquid mulieres peccent, in priore parte referri, in posteriore indidem deduci; in utraque autem eam descriptionis gradationem observari, ut profectus a turpioribus vitiis ascendat per minora quaedam ad foedissima quaeque flagitia; summam denique saevitiam, qualis in tragoediis appareat, in extrema satura vv. 592—661 tractari. Hermanni dispositionem (1—132, 133—285, 286—473, 474—661) argumentis satis firmis iam Ribbeck (l. c. p. 150sq.) labefecit, ad quem vos relego. Ribbeck (l. c. p. 147sqq.) ordinem valde disturbatum esse arbitratus plane novam huius saturae formam „restituit“; sed ab hoc mutandi et transponendi arbitrio ad sanam interpretandi viam revertimus. Tamen virum doctum, qua erat sagacitate, non pauca recte dixisse neque semper iniuria offendisse postea demonstrabo. Gyllingii de sextae saturae dispositione disputatio (l. c. p. 66—68) nihil praebet nisi argumentum saturae. Friedlaender vero de dispositione invenienda desperans Iuvenalem leges artis componendi plane neglexisse et contextum rerum ordinemque ubique desiderari queritur. Cuius iudicio plane adstipulatur Schanz (hist. litt. Rom. VIII 2, 2³, 1913, p. 204). Weidner, quamquam rationem totius saturae non perspexit, tamen in singulis rebus non nulla recte vidit.

Singula argumenta, quibus fretus Friedlaender sic iudicavit, postea in singulis locis enarrandis refutabo atque monstrare conabor viginti sex partes, quas Friedlaender numerat, in universum non „rudibus aut externis aut nullis“, sed aptissimis vinculis esse coniunctas. Nunc ad hoc tantum respondere volo. Friedlaender Iuvenalem vituperat, quod in fine saturae

non ad exordium, quo amicum a ducenda uxore dehortatur, redeat. Sed suo iure Iuv. hoc non fecit; nempe non tam amicum de matrimonio deterrere quam varia feminarum vitia describere vult hac satura; quam eleganter igitur poeta causam finxisse videtur, cur tam vehementer in feminas invehatur, tam ineptum mea quidem sententia esset, si post tantam vitiorum seriem ad illam causam rediret.

Itaque non mirum a Friedlaendero irrideri Naegelsbachium Iuvenalis artem componendi defendentem; quo iure, nunc videamus. Recte Naegelsbach cognovisse mihi videtur versus 286—300 esse cardinem totius saturae. Etiam discrimen illud, quod Naegelsbach inter duas partes saturae (1—286 et 301—661) statuit — sexus magis quam uxorum vitia in posteriore parte tractari, cum vitia in priore parte enumerata ad solas uxores pertineant — aliquid recti habet, quamvis Ribbeck et Gylling et Friedlaender id impugnaverint vanis certe causis commoti. Nam hoc mihi quidem discrimen inter primam et alteram partem huius saturae videtur. Vv. 1—285 poeta id agit, ut Postumum deterreat ab uxore ducenda, feminas in universum perlustrans (cf. imprimis v. 60: porticibusne tibi monstratur femina voto digna tuo? 112 ferrum est, quod amant. 134sq. faciunt graviora coactae imperio sexus minimumque libidine peccant. 161 nullane de tantis gregibus tibi digna videtur? 185sq. nam quid rancidius, quam quod se non putat ulla formosam. 208 nullam invenies quae parcat amanti). Nam quod Iuv. feminas esse nobiles plerumque (cf. v. 80sq., 82, 118, 167, 265sq.) fingit, hoc nihil est nisi subsidium ad indignationem incitandam idoneum. Inde autem a v. 286 fontem tot et tantorum vitiorum detegere vult atque illustrare certis characteribus depictis (cf. e. gr. v. 365,1: in quacumque domo. 366 sunt quas. 379 si gaudet. 434 illa tamen gravior, quae . . .). Negari quidem non potest Iuvenalem in fine saturae, ubi praecedentibus cumulum afferre vult, rursus, si formam spectas, feminas in universum arripere (cf. e. gr. v. 594 sed iacet aurato vix ulla puerpera lecto. 612 quod desipis inde est. 627 oderunt natos de paelice.

654 morte viri cupiant animam servare catellae). Sed ipsa hominum ratio haec vitia omnibus mulieribus tribui vetat; quod cum etiam in vv. 242—267 cadat, qui sunt de feminis in foro et ludo versantibus, nos quidem hos versus inter characteres positos esse malimus. Poetae autem hae res adeo totum sexum perversis studiis obnoxium notare videbantur (cf. v. 242 nulla fere causa est, v. 244 componunt, v. 247 quis nescit), ut priori parti eas inserere non dubitaret.

Sed quod docuit Naegelsbach, inde a v. 457 demum proferri ea vitia, quae ipsas divitias ultro sequantur, praecedentibus tamen vv. 300—456 quae ex eodem fonte, sed aliis etiam causis intercedentibus oriantur, explicari, iam Ribbeck l. c. p. 150 hoc acute refutavit. Cui quamquam in summa assentior, tamen nihili esse mihi videtur argumentum, quod tertium affert: superstitione, de qua inde a v. 511 exponitur, tam mediocres et pauperculae quam divites traduntur captae teneri (582 sqq.). Nam versus 582—591 opponendi tantum studio adiuncti sunt, quod vv. 585—587 luculenter demonstrant, neque quidquam nos impedit, quominus in posteriore parte de divitum tantum feminarum vitiis agi putemus (cf p. 51 sq.). Item vv. 349—365 poeta per oppositionem ostendere vult vitiis divitum pauperes quoque affici.

Liceat mihi nunc dispositionem, qualem toti saturae subesse puto, breviter adumbrare. Brevi exordio (vv. 1—20) praemisso, quo aurei et argentei saeculi mores paucis verbis illustrat, primum Postumum ab uxore ducenda deterret iocosum in modum. Tum vero inde a v. 60 usque ad v. 285 demonstrat firmis argumentis aptisque exemplis allatis, quae monstrosa esse v. 286 dicit, nullam esse dignam; quod exponendum sibi proponit v. 60 sq.: porticibusne tibi monstratur femina voto digna tuo?, et rursus significat interrogatione amici v. 161: nullane de tantis gregibus tibi digna videtur?, cui ut plane persuadeat, poeta adicit vv. 162—285. Primum igitur castitatem deesse uxoribus queritur et exemplis Eppiae et Messalinae comprobat (vv. 60—135). Deinde (vv. 136—199) Postumum aliquam dignam inveniri posse existimantem redarguit: nam viros aut

dotem aut faciem amantes vitiis uxorum indulgere (—160); uxorem autem maximis virtutibus praeditam propter superbiam odio esse (v. 183), coniugem a gravissimis vitiis liberam parvis intolerabilem (v. 184) fieri (—199). Postremo vero Iuv. aliquem uni deditum esse fingit et feminas turpi et perversa doctrina impudentes factas ne cum amantibus quidem viris concordes vivere posse sex particulis demonstrat, quae sunt de imperandi cupiditate crebrisque divortiis, de infesta socru, de feminis in foro versantibus, de gladiatoriis exercitationibus, de litibus nocturnis. Atque in his versibus primum apparet illa ratio disponendi, qua Iuv., ut maiores quasdam partes notet, similia in initio et in fine ponit. Nempe simulationem, quam mater filiam docet (v. 235 sqq.), ab altera simulatione v. 270 sqq depicta separavit. Eadem ratione, de qua p. 55 sq. fusius disputabitur. versus 301—397, 398—456, 457—507 comprehenduntur. Fonte tantorum malorum vv. 286—300 detecto Romanarum mores luxuria et pecunia corruptos certis divitum feminarum characterismis illustrat. Ac primum quidem vv. 301—397 in damnosam feminarum libidinem invehitur cum deorum contemptione coniunctam, tribus modis libidinem exercendi (fellare, in vices equitare, asello succumbere) opponens tria adulterorum genera (cinaedos, eunuchos, cantores) media interiecta nummorum profusione. Tum curiosam garrulitatem, iracundiam, ebriositatem, doctam garrulitatem, quibus, e vitiis impudentia feminarum appareat, castigat (398—456) et, quo ordine diei divites feminae utantur, exponit vv. 457—591, quibus et in munditiam nimis exquisitam cum magna erga virum neglegentia atque maiore in servos superbia coniunctam (—507) et in superstitiones invehitur (—591). Deinde ad foediora scelera (592—626) progressus apte in fine totius saturae ponit „summa monstra“ (v. 646 sq), qualia in scaenam producuntur (627—661). Videmus igitur utramque saturae partem tribus maioribus locis constare. Nam priore parte Iuv. nullam feminam voto dignam inveniri comprobat impudicitiae (60—135) et impudentiae (206—285) descriptione, quam in confirmationem mediam inseruit Postumi contradicentis refutationem (136—199). Similiter in posteriore

parte primum libido (301—397), deinde impudentia (398—456), tum ordo diei (457—591) describitur. Versus autem 592—661 toti huic saturae cumulum imponunt, non modo alteri parti; itaque hic ut in priore parte poeta feminas in universum perstringit (cf p. 38 sq.). Atque vide, quanta poetae arte in utraque parte ante summum indignationis fastigium exspectatio legentium retardatur levioribus rebus (136—199, praecipue vv. 184—199 quaedam parva quidem; 457—591, praecipue vv. 508—591 de superstitionibus); quamquam ea ipsa positione rhetorum praeceptis accommodata, qua leviores res gravissimis includuntur, assecutus est, ut leviora quoque admodum gravia esse videantur.

Hanc dispositionem enarrandis singulis locis, quod munus nunc aggredior, rectam me evicturum esse spero.

Prooemium (vv. 1—20) facile in duas partes dividitur; nam vv. 1—13 mores saeculi aurei et vv. 14—20 mores argentei saeculi describit poeta. Omnibus notis, quas Iuv. Saturni temporibus dat, postea suorum temporum notas opponit. Montanae et agresti mulieri v. 259 sq. contrarias facit eas, quae tenui sudant in cyclade, quarum delicias et panniculus bombycinus urit, magnis uberibus et infantibus illius feminas v. 592 sqq., quae nec nutricis laborem tolerant nec partus discrimen subeunt, illius horridae speciei delicatum cultum ornatumque vv. 457—507 descriptum, toro silvestri „plumam paternam et segmentatas cunas“ (v. 88 sq.) vel „testudineum conopeum“ (v. 80) vel „auratum lectum“ (v. 594). Versibus 7—10 poeta Cynthiam Properti et Lesbiam Catulli cum illa uxore montana comparat; huius distentis uberibus opponit Cynthiam, cuius pectora Propertius (II 15, 21 sq.)[1] his verbis laudat:

necdum inclinatae prohibent te ludere mammae:
viderit haec, si quam iam peperisse pudet,

et „horridiori glandem ructante marito“ nitidam (cf. v. 8 nitidos ocellos) Lesbiam, quam Catullus (2, 5) desiderium suum nitens vocat. V. 19 poetam subito Astraeam nominare non mirum;

---

[1] Iuv. horum versuum memor fuisse videtur me quidem iudice; nam editores hunc Propertii locum neglexerunt.

nempe cum periuria ac furta temporibus Iovis nondum barbati nondum exstitisse dixisset, facile ad Iustitiam commemorandam adduci potuit; sed statim verbis „hac comite“ ad Pudicitiam revertit. In argenteo saeculo Iuv. consistit, cum impudicitiam feminarum imprimis castigare velit atque illa tempora primos moechos viderint, et in transcursu tantum etiam ferreae aetatis mentionem facit v. 23.

Sequitur vv. 21—59 irrisio consilii Postumi, qui uxorem ducere vult, cum prooemio arte conexa v. 23 sq. Iuv. amicum propter hoc consilium insanum vocat. Deinde omnes mortes (restis, fenestrae, pons) vel pusionem meliores esse domina ostendit. Hic quoque singulis notis, quae pusionem commendant, poeta postea in feminis castigandis utitur: femina noctu litigat (v. 268 sqq.), exigit non „munuscula“ sed maxima dona (v. 149 sqq.), libidinibus eius satisfacere difficile est (v. 129 sq.). Versus 30 (ferre dominam cf. v. 208) praecipue spectare videtur ad dominandi cupiditatem feminarum vv. 200—224 adumbratam.

Deinde (vv. 38—59) poeta amici consilium cavillatur Ursidio commemorato, qui quamquam moechus tamen uxorem ducere vult (—44) atque eam castam (—59). Ceterum hic quoque poeta nonnulla significat, quae postea fusius tractat. Qualis futurus sit „dulcis“ heres, quem Ursidius tollere cogitat, describit v. 80 sq., v. 597 sqq. et antiquos mores (v. 45) pluribus verbis exponit v. 286 sqq.

Postquam et in urbe et ruri castas feminas rarissimas esse exemplo Hiberinae et Iovis Martisque furtis illustravit, transit Iuv. v. 60 ad alterum locum (60—285) prioris partis, quo nullam feminam voto Postumi dignam in urbe inveniri monstretur. Atque aptissime incipit ab impudicitia fusius comprobanda (vv. 60—135). Sed priusquam in singula inquiramus, videamus, quanta arte hunc locum priori adiunxerit. Nam postquam vv. 45—54 in urbe matronam capitis pudici raram esse exposuit, agro paterno opposito ad oppidula sicut Gabios et Fidenas atque inde rursus ad urbem ascendit. Praeterea locis ruris castitati feminarum periculosissimis insidiosissima urbis ita opponuntur, ut aliquo modo respondeant speluncae porticibus

et montes cuneis. Cum porticus obiter tangat, de spectaculis plura loquitur, quippe quae vehementer pertineant ad mores feminarum corrumpendos. Ac primum quidem mulieres cupidissime spectant impudicas pantomimorum saltationes (60—66). Aliae ad maiorem furorem progressae ornatum et instrumenta histrionum coemunt. Atque optime impudicitiam feminarum designat id, quod satyri potissimum indumenta tenent. Longissime a pudore aberrant eae, quae scaenicos ipsos amant. Versus igitur 60—66, 67—70, 71—113 gradationem efficiunt. Itaque non iure Friedlaender dicit Iuvenalem spectaculis obiter nominatis sine ullo transitu feminarum in histriones, artis musicae peritos, gladiatores furorem exponere; nam pedetentim et gradatim poeta ad amores ipsos pervenit. Feminae amant aut eos, qui in theatro spectantur (71—77) aut eos, qui in arenam prodeunt (78—113); caute igitur poeta v. 61 spectacula dixit, non theatrum, cum gladiatores in amphitheatro producerentur. Scaenicos, quos poeta nominat vv. 71—75, ita disposuit, ut hilaro generi (Atellanis, comoedis) serium (citharoedos, tragoedos) adnecteret. Friedlaender poetam vituperat, quod versus 73—75 non versibus 379 sqq. addiderit. Sed v. 379 sqq. de re prorsus alia agitur ac nostro loco. Nam hic tractatur feminarum nimium studium spectaculorum, quod in amorem histrionum convalescit; illic ipsae cantant et citharoedis, comoedis, tragoedis et cantandi magistris et adulteris utuntur. Ad gladiatorum amorem Iuv. ita transit, ut eo, qui liberos musicorum tollit, opponat Lentulum, cuius infans a gladiatore procreatus est. Quantus hic feminarum furor fuerit, Eppiae exemplo comprobat, quae nupta senatori Sergiolum secutorem[1] secuta est. Facto Eppiae commemorato (82—84) poeta causas enumerat (85—91), quae eam retinere debebant: domus (coniunx, soror, nati), patria, ludi (Paris) — pelagus (Tyrrheni fluctus, Ionium). Deinde adulteras pelagi periculis non deterreri fusius exponit ter opponens eam, quam coniunx secum ducit, ei, quae moechum sequitur simulque a

[1] Cf. schol. ad v. 108. Iuv. igitur tria gladiatorum genera nominat: retiarium (Euryalum v. 81), murmillonem, secutorem. Nam recte Weidner animadvertit cum murmillone retiarium pugnare solitum esse.

generali sententia ad singula progrediens (92—102). Postremo vv. 103—113 causis, quae eam retinere debebant (85—91), opponit causas, quae eam commovere poterant, ut gladiatorem ad Nilum comitaretur. Scilicet aut forma aut iuventa eam incensam esse putamus; sed cum haec (105 sq.) et illa (107—109) Sergiolo desint, poeta feminas ferrum amare concludit. Versus 111 sq. rursus causas retardantes obiter perstringunt ordine inverso, quo v. 85 sq. usus erat.

Per gradationem (privata domus — rivales deorum, sed etiam foeditas facti augetur) Iuv. gravissimum affert impudicitiae exemplum Messalinae prostitutionem (114—132), cuius nocturnum in lupanar iter poeta nobis sub aspectum subicit, et in initio (v. 117) et in fine (v. 132) cubile Palatinum tegeti lupanaris contrarium faciens. Ceterum versum 126 ego quidem cum Claussio l. c. p. 65 genuinum puto. Certe cum Iuv. omnia momenta itineris continuato ordine describat accurata diligentia rhetorum usus[1] (sumere cucullos, linquebat, intravit, prostitit titulum mentita, excepit atque poposcit, ?, abit et clausit, recessit, tulit ad pulvinar) versu 126 deleto desideramus aliquid, quod ad stuprum ipsum pertinet. Praeteritionis formula usus Iuv. turpibus histrionum gladiatorumque amoribus et Messalinae prostitutioni cumulum imponit incestas novercas obiter perstringens[2], quae privignos repugnantes potionibus carminibusque expugnare conantur. Coctum enim venenum est herbarum sucus excoctus, qui hippomani immiscuebatur Vergilio teste (Georg. III 282 sq.):

hippomanes, quod saepe malae legere novercae
miscueruntque herbas et non innoxia verba.

Significantur igitur v. 133 tres res magicae ad amorem incitandum idoneae, quas omnes ad privignum a noverca temptatum referendas esse docet ille Vergilii locus. Iniuria igitur Fried-

---

[1] Conferas e. gr. Sen. rhet. contr. I 2, 1: deducta es in lupanar, accepisti locum, pretium constitutum est, titulus inscriptus est.

[2] Saepius Iuv. in fine alicuius loci novas quasdam res paucis tangit, ut se etiam plura proferre posse comprobet. Cf. III vv. 160—163.

laender[1] hic offendit, quod maritorum et privignorum veneficia in fine adumbrata (vv. 610—626, 627 sq.) praemonerentur. Nam ne feminas maritorum amorem potionibus carminibusque sibi conciliare velle putemus, in hoc loco (60—135) qui est de impudicitia re ipsa prohibemur. Ac ne vv. 610—626 quidem uxor magicis cantibus et philtris utitur, ut mariti amorem augeat, sed ut „solea natis pulset". Privignos autem hic adultos novercae libidine inflammatae amatoriis tentant, v. 627 sq. parvos odio et dominandi cupiditate commotae interficiunt. — Deinde Iuv. cum se amico persuasisse putet, finem facere vult, sed illa libidinis gradatione non contentus leviter significat etiam graviora se narrare posse, quae feminae imperio sexus, i. e. aliis quoque affectibus coactae sicut dominandi cupiditate et avaritia, faciant. Hic igitur demum tangit ea, quae in fine saturae fusius tractat.

Sed Iuv. amico minime persuasit, qui duos maritos felices et uxoribus contentos vivere putet et hos ut certa argumenta proferre properet. Qua ex causa etiam huius particulae (136—141) brevitatem explicem, quam Friedlaender vituperat, quamquam in ceteris saturis idem invenimus, e. gr. sat. VII vv. 98—104. Quid? quod Schulz (diss. p. 16) sine ulla causa nisi exiguo versuum numero commotus lacunam statuit, in qua de libertate adulterandi plura exposita fuisse putat? Sed quae explicatio generalem sententiam „libertas emitur" insequitur v. 140 sq. (gradatio: innuat — rescribat), haec plane sufficit. Poeta igitur amico demonstrat utrumque maritum non tam uxorem quam aut dotem aut faciem amare atque his de causis alterum adulteriis — a quibus incipit, ut melius ab impudicitia ad hunc locum (136—199) transeat — alterum luxuriae uxoris indulgere. Ceterum in Bibulae exemplo Iuv. utitur argumento ex contrario: ubi primum species (rugae in facie, cutis laxa in corpore) et singulares virtutes (dentes, oculi) aetate demptae erunt, domo eicietur. Sed dum in gratia mariti est, cupiditate pulchrarum vestium, nobilis vini, multorum puerorum incensa poscit maritum „pastores et ovem Canusinam ulmosque Falernos et ergastula tota".

[1] Priorum criticorum sententias refellere (Ribbeck l. c. p. 174, Schoenaich l. c. p. 31) vel corrigere (Naegelsbach l. c. p. 473 sq.) longum est.

Nec non res pretiosissimae emantur, e quibus Iuv. gradatione usus nominat crystallina, myrrhina, anulum adamantinum, qui impudicis feminis Romanis in digito incestae Berenices pretiosior factus est. Versus 159 sq. non meram Aegypti circumscriptionem continent, sed meo sensu poeta impurae atque incestae vitae Agrippae et Berenices Iudaeorum religiosam puritatem opponit.

His duobus argumentis, quae certa putaverat, refutatis amici consilium iam labefit atque Postumus unum tantum, sane incertum, proferre potest in tantis gregibus nullam dignam inveniri miratus. Sed Iuv. ei ostendit neque feminam omnibus virtutibus praeditam (161—183) neque a gravissimis vitiis liberam (184—199) tolerandam esse. Atque rectissime Weidner, qui quod sententiarum cursum enarrandum attinet omnino ceteris praestat, quamquam aliis in rebus iure vituperatur, in virtutum enumeratione binas contrarias coniunctas esse monuit: formosa opponitur decenti, cum utraque virtus raro in eadem insit. Nam „decens“ hic significat pudorem motu, habitu verbisque expressum et minime idem est ac „formosa“, ut Friedlaender putat; conferas quaeso quae Horatius in carmine 13, 2 libri IV de Lyce dicit: fis anus et tamen vis formosa videri, ludisque et bibis inpudens . . . . decens quo motus? (v. 17 sq.) et Iuv. X 297 sq., Propert. II 5, 28; 16, 26; 32, 26. Divites feminas partus labores fugere poeta ipse dicit v. 594 sqq., nobiles apte intactis Sabinis opponi posse docet exemplum Messalinae lassatae viris. Simul v. 162 sqq. opponuntur nobilissima mulier et simplex rustica, quam oppositionem Iuv. subinde repetit v. 166 (Venusina—Cornelia). Ceterum quod Friedlaender Iuvenalem sibi non constare arbitratur, cum hic Romae castas feminas inveniri posse concedat, quod vv. 45—62 negaverit, et hic et illic poeta tales mulieres esse rarissimas dicit (cf. v. 165 „rara avis“ et v. 50 „paucae adeo . . . dignae“). In Corneliae et Niobes exemplis, quibus feminam, cui constant omnia[1], super-

---

[1] Ceterum F. Bock Aristoteles Theophrastus Seneca de matrimonio, stud. Lips. 1899 p. 44 hunc consensum neglexit: Iuv. v. 165: quis feret uxorem, cui constant omnia. ~ Plut. praec. coniug. 23: *ἐν αὑτῇ πάντα θεμένη*. ~ Theophr. ap. Sen. de matr. fr. 47: haec autem in nuptiis raro universa concordant. Praeterea cf. Iuv. v. 178 sqq.: quae

bam esse demonstrat, nobilitas cum fecunditate coniuncta est; atque cum v. 178sq. etiam gravitas (cf. decens v. 162) et forma nominentur, complures virtutes, quas v. 162sqq. enumeraverat, ordine paulum mutato hic perlustrari cognoscimus. Niobes autem exemplum Corneliae aliquid gravius affert. Nam Cornelia duodecim natos pepererat, Niobe Hesiodo teste viginti; illa maiorum triumphis, haec Tantali genere gloriabatur; cum utraque natos amittat, Niobes exemplo, quantam parare possit perniciem uxor superba, Iuv. ostendit. Sententia ultima: quis deditus autem etc. ad v. 166 spectat: quis feret uxorem, cui constant omnia?

Verbis „quaedam parva quidem, sed non toleranda maritis" unica Graecae linguae adfectatio inducitur[1]; nam saepius Iuv. plurali in propositione usus singulam rem narrat (cf. p. 32) et a v. 200 diversa exponi iam primi versus ostendunt. Itaque quamquam plura afferre potest, tamen una graecissandi cupiditate contentus est[2]. Contra Gylling hunc locum prorsus falso interpretatur v. 184 ad totam reliquam saturae partem pertinere arbitratus; atque ipse hoc intellexisse videtur, nam cautus adicit: Vix opus est dicere hanc transitionem non cogere poetam parva tantum vitia usque ad finem saturae adferre (l. c. p. 75). Hic quoque, ut ubique[3], Iuv. consuetudinem suam tenet, qua primum in universum rem notat, deinde singula affert; nam ut Tuscam et Graeculam exemplis Sulmonensis et Cecropidis illustrat, sic verba „omnia graece" quattuor affectibus cardinalibus explicat (pavere = *φόβος*, ira = *ἐπιθυμία*, gaudia = *ἡδονή*, curae = *λύπη*)

---

tanti gravitas, quae forma . . . huius enim rari summique voluptas nulla boni, quotiens animo corrupta superbo plus aloes quam mellis habet. ~ Plut. praec. coniug. 27: *δεῖ γὰρ εἶναι τῆς οἰκοδεσποίνης . . . τὸ αὐστηρὸν ὠφέλιμον καὶ ἡδὺ, μὴ πικρὸν ὥσπερ ἀλόης μηδὲ φαρμακῶδες.* — W. Grossgerge de Senecae et Theophrasti libris de matrimonio, diss. Regimont. 1911, Iuvenalem omnino non adhibuit.

[1] Ribbeck quoque (l. c. p. 156) hoc intellexit.

[2] Item Weidner ad h. l.

[3] Cf. 229sq. (numerus, octo mariti), 165 (rara avis, cycnus niger), 267 (ludia, uxor Asyli), 380sq. (organa, testudo), 402sq. (orbis, Seres), 436 (vates, Maro et Homerus), 630sq. (mensa, adipata), 632sq. (aliquis, papas). — Inverso ordine v. 626, 600, 637.

binas animi perturbationes sibi oppositas coniungens. E gaudiis concubitum nominat, in quo puellae Graeca voce utuntur. Illas puellas superat vetula, quae Graecis blanditiis in publico viros allicere studet; quod Iuv. eam admodum veterem fecit, hoc hyperbolico poetae studio concedamus necesse est.

Ut amico plane persuadeat, Iuv. addit sex monstra. Atque omnia haec vitia uxor in se admittit, quamquam maritus eam amat (cf. v. 206 si deditus uni est animus, 207 amanti, 208 amantis, 232, 235 custodes, 258 felix, 272 ficta paelice, 275 sq. fletum labellis exorbes). Augetur igitur versuum 136—160 sententia, quibus vitia feminarum, quae non ipsae amantur a viris exponuntur. Cur autem Iuv. v. 200 sqq. de amore loquatur, facile explicare minimeque assentiri possumus Friedlaendero, qui vv. 200—205 nostro loco ineptissime insertos et fragmentum esse particulae imperfectae putat; nempe antecedente loco (136—199) poeta feminas a viris sincere amari negavit (cf. v. 139, 143, 183, 184). Itaque hic primum ponit pactam a marito non amari (vv. 200—205: si tibi . . .), deinde (v. 206 sqq.: si tibi . . .) verum esse amorem (cf. imprimis v. 206 sq.: „si d e d i t u s uni est animus, summitte caput cervice parata f e r r e iugum“ cum v. 181 sq. „quis d e d i t u s autem usque adeo est, ut non . . . oderit“ et v. 166 „quis f e r e t uxorem“).

Vitiorum, quae inde a v. 206 usque ad v. 285 exponuntur, primum argumenta proferam, deinde poetae artem in eis coniungendis conspicuam illustrabo. Incipit Iuv. a cupiditate imperandi. Qua in universum notata (206—211) quattuor exempla profert per gradationem: commercium, affectus[1], testandi libertatem, servi sine causa supplicium. Res quoque, quibus commercium denotat: donandi, vendendi, emendi libertatem, gradationem efficiunt; nam facillime feminae quippe quae avarae, ut emant, commoventur (cf. v. 152), minus facile, ut vendant, difficillime, ut donent.

---

[1] Cf. Iuv. v. 214 sq. cum Theophr. ap. Sen. fr. 50 et Semon. anthol. lyr. ed. Hiller 7 v. 106 sq. Sed Iuv. Theophrasti verbis propriam notam impressit. Nam aut multum ego fallor aut facete significantur libidines eiusdem feminae: amicus, cum iam senior sit, excludatur; si iuventute frueretur et forma ac venustate libidines feminae instimularet, admitteretur.

Inconstantia[1] feminarum brevi adumbrata Iuv. v. 231 transit ad socrum, quae filiam artem caute adulterandi docet, ut ipsa ab adulteris mercedem accipiat.

Sequuntur duae res, quae a sexu abhorrent: feminae et iurisprudentiam (242—245) et artem gladiatoriam (246—267) usurpant. Primum Iuv. demonstrat hanc artem a natura feminarum abhorrere et eas pudore privare (—254). Tum armis, quae auctione venire fingit, cycladas et bombycina delicatarum mulierum contraria facit atque his rursus opponit arma nunc in exercitatione ipsa adhibita (—264). Postremo ludiam nobilissimis feminis pudore praestare neque idem ac maritum facere dicit (—267).

Finitur prior pars huius saturae litigiositate, quam tum gravissimam esse poeta dicit, cum femina „occulti conscia facti“ est, atque Iuv. optime enarrat, quanta simulandi arte virum decipiat (270—278) et quanta audacia deprensa se defendat (—285).

Hoc est argumentum versuum 206—285; nunc videamus, quomodo Iuv. has sex particulas inter se coniunxerit. Ac primum quidem Iuv. et praecedentia (206—230) ad turpem matris doctrinam referre et sequentia vitia (242—285) indidem deducere voluisse videtur. Nempe quod femina imperiosa gaudet spoliis mariti (v. 209 sq.), idem socrus docet v. 232; neque aliter res se habet in simulandi arte, quam socrus v. 234 sqq. docet, ligitiosa v. 270 sqq. callet. Talem feminam a turpi matre turpem productam tanto studio turpes res discendi ardere, ut etiam fines sexus transgrediatur (242—267), non mirum. Ex hac turpi ac perversa doctrina oritur impudentia, quae ipsa quoque in omnibus sex particulis apparet (cf. imprimis v. 252 sq.: quem praestare potest mulier galeata pudorem, quae fugit a sexu? — v. 284 sq.: nihil est audacius illis deprensis. — v. 223, 229 sq., 235 sq., 245.) Qua im-

[1] Cum Iuv. vv. 225—227 mirum in modum consentit [Quint.] decl. maior. II 7 sq.: aspicimus matrimoniorum singula momenta rixantia (cf. Sen. rem. 16, 5), mutant cotidie domos et per amplexus lectulosque discurrunt.

pudentia concordia (v. 231), i. e. species vitae coniugalis[1], disturbatur.

A cupiditate imperandi Iuv. facile transit ad inconstantiam quodam modo oppositam hoc et illud vitium eidem feminae tribuens. Quibus vitiis concordia coniugalis quamquam disturbatur, tamen prorsus desperanda est salva socru. A socru vero concordiam mala doctrina corrumpente poeta non abrupte transit ad duo illa studia a sexu aliena, sed prius ne cum concivibus quidem concordiam esse queritur, cum uxor novas usque causas moveat[2]; tum demum per gradationem feminas ipsas libellos formare addit. Ad hunc versum 242 „nulla fere causa est, in qua non femina litem moverit" spectat v. 268 „semper habet lites alternaque iurgia lectus". Itaque Naegelsbach l. c. p. 475 contendit dexteritatem feminarum in causis agendis conspicuam, viraginum gladiatorias exercitationes, uxorum cupiditatem rixarum ex uno fonte, e litigiositate, fluere. Quae Friedländer irridet ut interpretandi artificia, non iniuria. Nam quid duo illa studia a sexu femineo aliena, iurisprudentia et ars gladiatoria, cum litigiositate commune habeant, equidem non video. Atque v. 268 non tam ad totam particulam quae vv. 242—245 continetur referendus est, quam ad v. 242 sq., qui transeundi causa inserti ad concordiam disturbatam spectant. Praeterea hic de litigiositate locus cum praecedente eo coniunctus est, quod feminae ad palum (quo verbo particula quae est de exercitationibus gladiatoriis includitur v. 247 et v. 267) gementi (v. 261, 267) additur gemens in lecto (v. 271). Priusquam Iuv. ad gladiatricem pervenit, luctatricem commemorat, sed illam tantum, ut foediorem fusius describit. Friedlaender v. 246 ad v. 421 sqq. pertinere putat atque hos duos locos separatos esse queritur; sed nostro loco de luctandi arte apud magistrum quendam exercitata agitur, illo femina domi halteres iactat ad sudorem eliciendum nulla de causa nisi ut sitim quam maximam sibi excitet.

Aptissime poeta priorem partem concludit summa in adulterio deprensarum audacia; nam ab adulteriis poeta initium

---

[1] De Romanorum Concordia coniugali cf. Thes. ling. lat. IV 85.

[2] Scholiasta falso uxorem cum marito litigare putat.

cepit. quamquam feminarum impudicitia nullo fere huius saturae loco non elucet. Eadem ratione Iuvenalem in posteriore parte usum esse videbimus.

Hoc cumulo audaciae vv. 279—285 ascenso Iuv. se interrogari fingit, quo de fonte haec monstra fluxerint, et hoc fonte vv. 286—300 detecto ad alteram saturae partem transit. Fluxerunt autem illa monstra e luxuria et divitiis; quo factum est, ut poeta altera saturae parte divites potissimum feminas perstringat. Luxuriam igitur et divitias quomodo significaverit, nunc videamus. Vv. 301—313 feminae convivio intersunt aut inde redeunt. Vv. 314—345: meri veteris torrens, veterum fictilium contemptio. Vv. 349—365: pauperes oppositae, quae eidem luxuriae deditae sunt (ludi, vestis, comites, sella, cervical, amicae, nutrix, puella). Vv. 365, 1—397: feminae non nisi divites cinaedos, eunuchos, magistros cantandi domi habere possunt; praeterea ancillae v. 365, 25; v. 374 sq. domina a servis circumdata balnea intrat; magister cantandi est non homo quidam obscurus, sed ludis celeber, in testudine sardonyches radiant; quaedam de numero Lamiarum agnam sacrificat inani de causa. Vv. 398—412 divitiarum significationem desideramus, nisi forte huic feminae, quod cum paludatis ducibus praesente marito ipsa loquitur, nobilitatem et divitias concedis. Iuvenalem hanc naturam, quae frequentior ceteris sit atque etiam pauperum in numero, generalius descripsisse putaverim sive memorem rhetoricarum exercitationum seu Semonidis descriptione commotum, quem hic artius quam alibi sequitur. Vv. 413—433: vicini humiles oppositi, quos feriri iubet, magnus tumultus servorum, convivae, vinum Falernum, marmora, aurata pelvis etc. Vv. 434—456: convivarum magnus numerus et doctrina huius feminae. Vv. 457—507: femina aperte dives nominatur v. 460; praeterea pretiosus ornatus et cultus faciei capillique et servorum ancillarumque greges. 508—591: servi coniugis, gravis est rationibus (cf. v. 518 sq., 540 sq., 546), hariolos et vates domum suam arcessit, e Phrygia augurem conducit, publicum haruspicem adit; praeterea haruspicem v. 552 commemoratum divitem tantum feminam deferre apparet; femina v. 577 depicta vehitur; pauperes

oppositi; v. 585 iterum divites nominantur. His pauperibus rursus divites opponuntur: auratus lectus v. 593, altae domus v. 607. Vv. 610—626 exemplis Caesoniae et Agrippinae significatur poetam de nobilibus et divitibus loqui. Vv. 627—661: pupilli, quibus amplior est res, papas qui praegustet; Pontia quoque secundum schol. dives erat; v. 654 catella.

Videmus igitur sex potissimum modis divitias significari: 1. luxuria edendi et bibendi, 2. pretioso ornatu et cultu, 3. permultis pretiosis rebus, quibus domus ornata est, 4. hominibus quorum opera utuntur et servorum ancillarumque gregibus, 5. pauperibus oppositis, 6. exemplorum delectu.

Nunc ad singula accedamus. Notis antiquorum temporum, paupertati et frequentioribus bellis (Hannibal), Iuv. causas morum corruptorum opponit longam pacem et luxuriam. Ex oppidis victi orbis, qui luxuria propaganda ulciscitur, quattuor nominat duo Italica (Sybaris, Tarentum) Asiaticis (Rhodos, Miletos) separans, ut artius omnia inter se coniungat[1]. Tarento, quod postremum posuit, dedit complura adiectiva e conviviis petita, quae animum nostrum ad „veneris ebriae“ intemperantiam quae sequitur praeparent. Nam poeta libidinum expositionem (300—397) v. 294 praeparatam cum luxuria in universum tractata (286—300) ita coniunxit, ut a libidinibus ebrietate, uno genere luxus (v. 299), inflammatis inciperet. Itaque verba (v. 300): quid enim venus ebria curat?, quasi propositio sunt versuum 301—334, quibuscum arte coniuncti sunt vv. 335—345.

Recte Leo (Rhen. mus. 44 p. 604) monet Iuvenalem inde a v. 301 a singula femina (301—305) ad complures (306—313) et inde ad multitudinem (314—334) progredi. Versus 306—313, qui sequuntur imaginem feminae multo vino ad fellandum adductae, non satis perspicue mihi enarrati esse videntur. Ac primum quidem Friedlaender manifesto errat has feminas ex eodem convivio venire existimans, quod vv. 301—305 describitur; ubi enim Iuv. hoc significavit? Deinde omnes editores Tulliam et Mauram id quoque facere putant, quod inde a v. 309 ex-

---

[1] Eadem ratione Vergilium usum esse docuit R. Heinze v. d. libri qui inscribitur „Virgils epische Technik“[2] p. 440 sq.

ponitur. Equidem primum e singulari positione verbi „noctibus“ concludo vv. 306—308 de factis die commissis agi, deinde e plurali eiusdem verbi atque e coniuge v. 313 nominato non Tulliam et Mauram nocturna flagitia exercere. Itaque „ponunt“ idem esse ac „sunt quae ponant“ puto; nam fac Tulliae et Maurae solis poetam haec nefanda tribuisse atque ea compluribus noctibus, nonne tunc nimis audacter Iuv. v. 312 subito ad quemlibet maritum se convertit? Huc accedit, quod apta gradatio sic oritur: Tullia obscoeno vultu, Maura (quae non Tulliam comitatur) impudicis verbis Pudicitiam die praetereuntes irrident, aliae noctis tenebris occultae foedissimis factis.

His duobus nocturnis flagitiis (v. 302, 309 — versus enim 306—308 ut plena fiat gradatio inserti sunt) poeta adiungit tertium (v. 329): secreta Bonae Deae. Quibus secretis in universum descriptis Iuv. exempla Saufeiae et Medullinae profert et v. 324 rursus ad generalem descriptionem redit similem in modum, quo secreta Bonae Deae a viris celebrata in secunda satura exposuerat (83—116). Atque egregie poeta libidinem feminarum, quibus fas est tandem admittere viros, hyperbolica sane gradatione depingit (adulter iuvenis, servi aquarius, asellus), sicut paulo ante v. 324sqq. Priami senectutem Nestoris hirnea auxerat. Ceterum v. 329sqq. sic enarrandi esse videntur: prurigine morae impatiente incensae feminae ancillam custodem iubent viros admittere. Hi autem viri sunt adulteri, cum quibus constituerunt. Poeta vero fingit alicuius adulterum constituto tempori obdormivisse. Tunc haec deserta cucullum sumit (non iuveni hoc imperatur) et in viam egressa iuvenem quempiam (qui non idem est atque adulter) properare iubet. His peregrinis orgiis Bonae Deae denotatis Iuv. facere non potest, quin etiam publica sacra contaminari addat (335—345) Clodii exemplo usus. His igitur versibus non iam ebrietas feminarum cum praecedentibus imaginibus (301—334) communis est, sed sacrorum profanatio, quam inde a v. 306 poeta premit. Atque recte Friedlaender, quamquam Gercke in recensione Friedlaenderianae contrariam partem tenet (Gött. gel. Anz. 1896 p. 980), secreta Bonae Deae a publicis eius sacris distinguit; hoc

manifestum fit ex utriusque festi oppositione. Neque Polstorffio (l. c. p. 22) assentiri possum, qui Iuvenalem hic a proposito aberrare dicit; nam vv. 314—334 peccata a feminis commissa, vv. 337—345 referri notum illud viri facinus. Nempe poeta demonstrare vult suis temporibus, cum in omnibus publicis feminarum sacris impudicae inveniantur deorumque reverentia exstincta sit, nullo viro timendum esse, ne, si adulterandi causa irrepserit, infecta re abeat (conferas quaeso v. 59: Iuppiter et Mars). Tamen, si compositionem spectas, hos versus additamentum esse augendi studio adiunctum ex eo apparet, quod ad symmetriam infra p. 55 adumbratam non accommodati sunt (cf. vv. 569—581 ex oppositione v. 585 sq. exceptos).

Versus 346—348 qui sequuntur sunt simillimi versuum Oxoniensium 365, 29—34; atque cum hoc loco verbo „novi" arte cum praecedentibus coniuncti sint, hoc loco genuini, illo spurii iudicandi sunt. Sed hic non est locus huic rei disputandae: relego vos ad Claussii dissertationem, cum quo fragmentum Bodleianum esse Iuvenalis neque nostrae saturae vv. 346—348, 558 sq., 614, 1—3 duplicem recensionem statuendam consentio.

Versum igitur 345 statim sequuntur, quae vv. 349—365 de feminarum profusione nummorum exponuntur iam v. 342 sqq., fictilibus contemptis, significata. V. 349 „iamque eadem summis pariter minimisque libido" nos revocat ad priscas Latinas v. 287 sqq. descriptas, quarum castitas paupertate servabatur; sed nunc Ogulnia (352—356), cum nummi ad emendum eam deficiant, conducit vestem et ceteras res, ut quam maximo splendore in ludis viros alliciat, neque pauperes feminae in universum (357—365) reputant, quanti sibi gaudia constent. Hic quoque Iuv. mihi defendendus est contra Friedlaenderum artem componendi desiderantem. Nam primum poetam hanc particulam cum muliebris libidinis expositione (300—397) conectere voluisse cognoscimus e verbis „libido" (v. 349)[1] et „gaudia" (v. 365), quibus hanc particulam includit. Deinde

[1] Clauss l. c. p. 24 vv. 349—351 falso cum praecedentibus coniungit.

hi versus egregie sunt positi inter generalem muliebris libidinis expositionem (300—345) et singula genera amorum (365, 1—397). Nam ut muliebrem libidinem in universum fellatrice, tribadibus, lasciva in secretis Bonae Deae intemperantia, imprimis asello imposito, denotavit, sic hoc loco ludis obscoenis et puella, cui Ogulnia mandata dat; atque ut antea feminas libidinosas ne deorum quidem reverentiam habere demonstravit, sic his versibus eas gaudiorum causa etiam pecuniam, quam ab avaris hominibus paene ut deam coli alias queritur (I 112 sqq.), contemnere omnique paupertatis pudore carere ostendit. Altera ex parte athletis v. 356 et gaudiis v. 365 nominatis poeta animos nostros praeparat ad singularia gaudia (v. 367 delectent, 368 voluptas summa, 379 gaudet) et acceptissimos adulteros, quos inde a v. 365, 1 describit. Ceterum adulteriis quoque iam v. 329 sqq. praemonitis et domus a cinaedis corruptae generali descriptione (365, 1—19) poeta id agit, ut melius a libidine in universum descripta transeat ad singulos amores.

Atque vide, quam artificiosa symmetria sic orta sit. Nam primum tribus modis libidinem exercendi (fellare, in vices equitare, asello succumbere) Iuv. opponit tria adulterorum genera (cinaedi, eunuchi, cantores). Deinde in prioribus tribus particulis paulatim a libidinibus magis naturalibus ad monstruosas ascendit, in posterioribus autem vice versa a monstruosis ad magis naturales descendit. Hanc symmetriam versus fragmenti Bodleiani elidi vetare nemo non videt; accedit igitur hoc novum neque leve argumentum ad causas illas, quibus Clauss commotus germanam eorum originem defendit.

Ecce insperata lux affulget quaestioni p. 40 adumbratae neque ad liquidum perductae. Nam haec ratio, quam modo detexi — complures locos similibus rebus includi — saepius in satura nostra invenitur. Primum hanc compositionem centralem cognoscimus vv. 200—286, ubi simulatio, quam mater filiam docet (v. 235 sq.) ab altera simulatione v. 270 sqq. depicta separatur accusatricibus et gladiatricibus. Hic quoque, ut vv. 300—397, poeta primum ascendit, deinde rursus descendit (versus autem 279—285 versibus 206—278 cumulum imponunt); nam adulteria

et audax simulatio neglegentiam pudoris ostendunt, accusatrix autem et gladiatrix etiam a sexu aberrant. Similiter res se habet vv. 457—507, ubi ornatus et cultus faciei disiunguntur ab ornatu capillorum foediore crudelitate dominarum. Contra vv. 398—433, ubi duae loquaces, curiosa et docta, seiunguntur iracunda atque vinolenta, gradatio v. 398, 413, 434 continuatur. Hoc ordine Iuvenalem in tanta particularum multitudine maiores quosdam locos significare voluisse non vereor, ne neges. Proba igitur hanc rationem et desines de dispositione prorsus neglecta queri.

Primum adulterorum genus sunt cinaedi, qui mores totius domus corrumpunt (365, 1—20) a feminis sine ullo scrupulo ad cenam admissi (4—6). Huic perditae domui ordo ludi opponitur vv. 7—13 atque huic rursus impudica domus (14—16). Versibus 17—20 demum Iuv. turpitudinem, qua a cinaedis omnes mulieres domus infici supra v. 3 dixerat, accuratius enarrat. Sed non semper verus cinaedus manet, non semper docet tantum turpes res. Nam quanto molliorem et muliebriorem speciem prae se fert, tanto fortior adulter est in lecto (20—34), ubi purum virum se praebet. Custodes hic nihil prosunt[1], cum ab illis femina incipiat.

Cinaedis in lecto fortissimis Iuv. opponit imbelles eunuchos (366—378), primum emptos (366—368), deinde per gradationem a domina factos spadones, quos, singulari quoque utriusque positione, contrarios facit mangonum pueris.

Sequuntur vv. 379—397 cantores (citharoedi v. 391, comoedi tragoedi v. 396), quibus divites feminae magistris artis cantandi utuntur (cf. v. 398 sed cantet potius). Ut feminae ephebos testiculis privant, sic eis solvitur fibula cantoris. Qui si forte non adest, femina plectro eius se solatur (379—384); quid? quod (gradatio!) nobilissima matrona, ut citharoedo victoriam in agone Capitolino darent, deis agnam sacrificavit, qua re plus non faceret pro viro aegrotante aut filio morituro (gradatio!).

[1] Cf. Ovid. am. III 4, 35 sq., quod carmen mirum in modum consentit cum Eurip. ap. Stob. fl. (ed. Hense, IV) c. XXIII fr. 26 a p. 578. Hic Euripidis locus a Brandtio amorum commentatore prorsus neglectus est.

Deinde Iuv. quattuor exemplis usque gravioribus (cf. v. 398, 413, 434) audaciam, impudentiam arrogantiamque feminarum describit. Ribbeck (l. c. p. 149) hanc gradationem irridet; at res non nostra norma metiendae sunt, sed Iuvenalis, quem aliter de gravitate vitiorum cogitasse ac nos iam in secundae saturae versibus 143—148 enarrandis vidimus. Ceterum similiter atque Iuv. de horum vitiorum diversa foeditate sentit morosus ille Libanii (ed. Foerster VI p. 530): *οὐκ ἔστιν ἡ γυνή μοι μέθυσος. — εἰ γὰρ ἐμέθυε, κἂν ἐκάθευδεν, εἰ δὲ ἐκάθευδεν, ἴσως ἐσίγα. πάντα μοι ταῦτα τοῦ παρόντος ἐλάττω, πάντα τῆς λαλιᾶς κουφότερα.* Ex his autem quattuor feminis duae priores in alios homines, duae posteriores in convivas impudenter se gerunt.

Incipit igitur poeta a curiosa et garrula quae gravior est cantante; nam cum haec domi cantet (amorum enim hic poeta rationem non habet), illa totam pervolat urbem atque audax in conventus virorum se immiscet et cum ducibus colloquitur. Atque apte curiositas sequitur varia adulteria vv. 365, 1—397 descripta; „*ἀκρασίας γὰρ τὸ πολυπραγμονεῖν, ὡς καὶ τὸ μοιχεύειν*", ut ait Ariston[1] ap. Plut. de curios. p. 519 E. Tam curiosam (398—401) omnia nosse, quae in orbe et in urbe fiant (402—406) atque alia primam videre omnibusque enarrare (407—412) non mirum. Ribbeck hoc Iuvenalis loco offendit, quod ea, quae de Seribus et Thracibus dicit poeta, miro ordine insertis domesticis secretis (404—406) separata essent ab Armeniorum Parthorumque eventis. Schoenaich quoque, qui Ribbeckium refutare studet (l. c. p. 38), hunc ordinem „satis imperfectum et sane mirum" nominat. Equidem egregium esse puto; nempe totam urbem pervolans secreta urbis femina comperit et cum ducibus paludatis colloquens, quid toto fiat in orbe. Poeta igitur noto illo ordine (a b b a) utitur, quem saepissime apud eum invenimus; conferas e. gr. v. 286 sqq: paupertas — bellum (Hannibal), pax — luxuria. v. 103 sqq.: forma — iuventa, aetas — turpitudo. v. 349 sqq.: summi — minimi, minimi — summi. v. 434—456: grammaticus — rhetor, rhetor —

[1] Cf. Hense Rhen. mus. 45 p. 547.

grammaticus. VII 199—201: Ventidius — Tullius, regna — triumphi. X 324 sqq.: Hippolytus — Bellerophon, Stheneboea — Phaedra. ibid. v. 350 sqq.: coniugium — partum, pueri — uxor. XI 61—63: Hercules — Aeneas, aquae — flammae. ibid. 120—135: cenandi voluptas — pretiosa supellex, pauper supellex — cenandi voluptas. XII 17 sqq.: pelagi casus — fulminis ictus, ignis — pelagi casus (genus aliud). XIV 87—90: Tibur — Praeneste, Fortuna — Hercules. Ea autem, quae inde a v. 407 enumerantur, prorsus diversa sunt: haec enim non in urbe femina indagare aut exquirere potest, sed haec sunt portenta ac prodigia naturae, quae femina aut prima videt aut de quibus rumores ad urbem latos prima excipit. Quem ordinem poeta primo obtutu perspici noluit; immo hoc ordine, quo ultimae orbis regiones iuxta intima urbis secreta ponuntur, efficere cogitavit, ut omnia curiosae nota esse existimaremus.

Deinde Iuv. duo nocturna flagitia (cf. v. 415 alti somni, v. 419 nocte, v. 424 somno) iracundae (413—418) et vinolentae (419—433) nobis ante oculos ponit. Cum curiosa femina audacem se praebeat etiam in summos duces, haec iracundia commovetur, ut vicinos humiles loris aut fustibus (gradatio!) caedat. Altera femina non minus impudenter se gerit in balneo et in convivio ipso, ubi bibit et vomit.

Sed gravior Iuvenali videtur grammatica et rhetorica doctrina imbuta (434—456); nam cum vinolenta femina convivas diu initium cenae exspectare coegerit prius lavans et bibens, haec in cena ipsa eis taedium movet doctrinam suam iactans et omnes vocis vi ac magnitudine comprimens (434—447). Vim verborum Iuv. altera ex parte illustrat iis viris a docta victis, qui maximam vocem habent (grammaticus rhetor, causidicus praeco, altera mulier). Hi, quamquam bini artius coniungendi sunt, tamen continuam gradationem efficiunt. Cum in priore pari etiam doctrina virorum comparetur, causidicus et praeco propter solam vocis magnitudinem nominantur. Altera ex parte hanc vim comparat cum sonu tubarum atque aeris in defectibus lunae audito. Ceterum hic quoque Iuv. ordine

supra adumbrato (a b b a) usus esse videtur; nam qui de Vergilio et Homero loquitur (434—437) est grammaticus, verborum autem vis (438—444) rhetorem decet; tum a. v. 448 primum rhetoricam (dicendi genus, enthymema) deinde grammaticam feminae disciplinam (historiae, Palaemonis ars, ratio loquendi, antiquaria, soloecismus) singulis potius rebus e studio ipso petitis illustrat. Has duas particulas Iuv. coniunxit generali sententia, qua quam longe talis femina a sexu aberret, demonstrat.

Versus 457 „nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil" et quae sequuntur cumulum praecedenti gradationi (v. 398, 413, 434) afferre videntur, sed revera vv. 457—591, excepta crudeli servorum tractatione, leviores res contineri nemo non videt (cf. p. 41); quas ut augeat, poeta initio huius loci nec non v. 508 sqq. acerbissimis verbis utitur. V. 457 opponitur marito, cui ne soloecismum quidem fecisse licet, femina, quae nil non sibi permittit. Ab hoc versu usque ad v. 507 Iuv. feminas nobis depingit, quae quanto pulchriores moecho videri volunt (cf. v. 464 sqq., 487 sqq.), tanto neglegentiores sunt viri atque crudeliores in servos. Ac primum quidem (457—473) Iuv. ornamenta gemmarum et margaritarum (—460) atque cultum faciei (—473) describit. Vocem „interea" (v. 461) Naegelsbach mihi recte ad „circumdedit" et „commisit" rettulisse atque sic interpretatus esse videtur: usque ad illud tempus, quo gemmis et margaritis se ornant. Est igitur hic idem usus particulae „interea", quem aliis Iuvenalis locis (VI 149, VIII 155, X 342, XI 14, XIV 138) praecedente tempore futuro aut imperativo invenimus. Leo enim, qui „interea" significare putat spatium temporis, quod sit inter ornamenta assumpta et medicamina removenda, minime mihi persuasit. Nam quae est femina, quae non prius illa medicamina faciei illinat et removeat atque prius lacte foveatur quam gemmas et margaritas induat, quas inverso ordine pollueret? Omnino rectus trium illarum rerum ordo esset hic: cultus faciei, cultus capilli, pretiosus ornatus (cf. Ps.-Lucian. ἔρωτας c. 39—41); sed cum Iuv. finem semper spectaret, i. e. feminarum ad moechos egressus, quos huic loco (457—508) quasi signum imprimere

voluit, novissimum munus, quod egressus excipiunt, anteposuit. Neque cum Schulzio (diss. p. 15) facio, qui sine ulla causa inter v. 459 et 461 excidisse sordium domesticarum descriptionem coniecit v. 460 deleto. Idem post „turpe putat nil“ graviter distinguit, cum „subabsurda esse ei videatur sententia mulierem nihil turpe putare tum, cum se ornaverit“. Sed quid poeta hac sententia significare velit, videmus e parenthesi illa vv. 464—466 opponendi studio inserta; nempe illa ornamenta induit nulla de causa nisi ut amores venetur moechisque placeat. In enumeratione medicaminum gradatio cognosci potest (panis — pingue Poppaeanum, foliata — odores Indorum), cui cumulus affertur asellis feminae assiduis comitibus[1].

Sequuntur versus 474—507, quibus quam crudeles feminae sint in servos imprimis inter capilli ornandi officium exponitur. Initium capit haec particula a verbis „est pretium curae penitus cognoscere toto quid faciant agitentque die“. Friedlaender Weidnerum secutus hic offendit; nam cum totius diei ordinem promittat, Iuvenalem id tantum describere, quid feminae mane faciant. Sed aliter res se habet. Primum enim adverbium „penitus“ significat etiam ea, quae praecedunt de gemmis et margaritis et de cultu faciei, ordini diei adnumeranda esse; atque revera Iuv. v. 481 etiam inter cultum faciei servos caedi obiter tangit. Deinde num verba „toto die“ tantopere premas necesse est? Nempe haec poetae sententia esse videtur: princeps illi feminae opera et paene omnis ponitur in servis cruciandis (cf. v. 481 sqq.: verberat — linit, considerat — caedit, relegit — caedit; cf. v. 486, 492) proximeque in delicato cultu et ornatu corporis, cui adeo se dedunt, tamquam agatur discrimen famae aut animae (gradatio!). Postremo ne Gyllingii quidem sententia plane reicienda est, qui l. c. p. 78 sq. etiam insequentem de superstitione locum ordini diei adnumerandum esse coniecit nullo quidem argumento addito; cuius opinio nescio an stabilitetur Ps.-Luciani amoribus, ubi ordini

[1] Hoc genus gradationis quinquepartitae Iuv. amat; cf. v. 329 sqq.: adulter — iuvenis, servi — aquarius, asellus; v. 438 sqq.: grammatici — rhetores, causidicus — praeco, altera mulier. III 110 sqq.

diei inde a c. 39 usque ad c. 42 exposito superstitiones quoque tribuuntur, nec non particula „interea“ v. 508 huius saturae. V. 475 sqq. tribus servorum generibus (libraria, cosmetae, Liburnus) tria genera poenarum respondent, quae ita disposuit poeta, ut mitissimo (ferulae) statim gravissimum (flagellum) opponeret gravissimoque paulo mitius (scutica) adderet. V. 486 Iuv. singula obiter tacta colligit sententia universa, cuius probandae causa (nam si . . .) rursus eiusdem crudelitatis exemplum fusius enarratum affert[1].

Inde a v. 508 usque ad v. 591 Iuv. loquitur de damnosa feminarum superstitione. Divites feminae excipiunt sacerdotes Asiaticos (Bellonae et Cybeles, 511—521) atque venerantur deos Aegyptorum (Isidem et Anubidem, 522—541); his versibus (511—541) qui sunt de sacerdotibus externorum deorum adiunguntur harioli ipsi quoque peregrini: feminae responsa petunt a coniectricibus Iudaeis (542—547), ab haruspicibus Armeniis et Commagenis (548—552), ab astrologis imprimis Chaldaeis (553—568); nonnullae etiam ipsae astrologiae peritae sunt (569—581); postremo divitibus feminis pauperes opponuntur, quorum fatum in circo et aggere positum est (582—591). Atque hoc modo Iuv. transitum efficit ab ornatu atque cultu feminarum ad superstitionem. Primum ex antecedente loco (457—507) concludit uxorem tamquam vicinam mariti vivere et gravem esse rationibus. Nam a femina virum inter vitam vv. 457—507 descriptam (v. 508 interea) neglegi poeta moechis v. 464 sqq. et 487 commemoratis significavit atque ornatum feminae (virides gemmas, elenchos, medicamina faciei, inauratam vestem etc) marito damna (v. 509) afferre per se ipsum apparet. Deinde ab hoc damnoso ornatu progreditur ad damnosam (cf. v. 511, 518 sq., 540 sq., 546) superstitionem simul opponens neglegentiae mariti et odio amicorum servorumque eius feminarum in sacerdotes et hariolos obsequium. Sed hanc sententiam latentem et ad transitum idoneam — superstitionem quoque damnosam esse — poeta non usque ad finem persecutus

---

[1] De hoc componendi modo cf. Vahlen ind. lect,, Berol. 1884.

est; nam haruspicis merces significatur tantum (columba v. 549, pulli v. 551) et Chaldaeorum omnino non commemoratur; versibus autem 569—591 ut illam sententiam admisceret, nullo modo fieri potuit. Altera ex parte feminae, quae religiosa cum diligentia „tamquam famae discrimen agatur aut animae" (v. 500) se ipsam, imprimis capillos, colit consilio ancillarum, cui praeest anus quaedam, circumdata, adiungit feminarum religiosum cultum deorum, quarum prima Cybeles semiviro minorum duci obsequitur, ut „quidquid subiti et magni discriminis instat" vitet.

V. 508 sqq. Friedlaender offendit in viro ter alio usque nomine nominato (viri, mariti, coniugis). Sed hoc, quamquam Iuvenalis studium verba variandi non neglegendum est (cf. v. 139 sq.: pharetrae = sagittae, lampas = faces; XI 44 sq.: cineres, funus, mors, ubi Friedlaender non offendit), tamen hoc saltem loco altera causa accedente factum esse videtur; nempe poeta, ut feminam viri neglegentem eo acerbiore nota afficiat, sanctitatem legitimi matrimonii praedicat (similiter v. 631 materno — v. 633 illa quae peperit). Locum qui est de deis Aegyptorum (522 sqq) praecedenti ita adiungit, ut eandem, quae ne morbis afficiatur sacerdotibus Cybeles magna dona dat, iussu Isidis in amnem ruptae glaciei plenum vel in matutinum Tiberim summo cum periculo vitae descendere dicat, cui poenae per gradationem laboris, non periculi addit totum campum Martium cruentis genibus erepentem et ab ipsa Meroe aquas petentem. Iudaeae sacerdotem Anubidis subsequenti (cf. v. 542 cum dedit ille locum) adiungit poeta haruspicem e qualibuscumque somniis, quae Iudaei vendunt, certa exempla, amatorem tenerum vel divitis orbi testamentum, maxime a feminis optata, proferens. Praeterea Iudaeis, qui adeo desideria feminarum sequuntur, ut ipsae somniorum interpretationes poetae somnia[1] esse videantur atque etiam a consulentibus ipsis non multum fidei eis habeatur, ironice opponit haruspicem, qui promittit atque spondet. Hoc enim confirmatur verbis, quibus ad Chaldaeos transit v. 553: Chaldaeis set maior erit fiducia. Fiducia igitur inde a Iudaeis

[1] Cf. Weidner ad h. l.

usque ad Chaldaeos indemnatos et damnatos gradatim crescit, donec huic gradationi cumulus affertur femina, quae ipsa astrologiam novit et sibi soli fidem habet. V. 565 Iuv. ad initium huius de Chaldaeis particulae (v. 553 sq.: quidquid dixerit astrologus) redit et singula enarrat de feminarum consultationibus ita, ut a proximis ad longinquiores cognationes progrediens morti viri, matris, sororis, patrui vitam adulteri opponat. Ad astrologiae peritas Iuv. transit, cum antecedentibus tribuit, quod his deest, opponens triste sidus Saturni laetae Veneri, damna lucro. Haec femina ephemeridas inspicit omnibus in rebus; quae quanto leviores fiunt (comitatus viri castra vel patriam petentis, ad primum lapidem vectatio, prurigo ocelli), tanto magis ridicula superstitio feminae. Postremo ocelli prurigini verus morbus opponitur. Duobus igitur seriis rebus poeta levissimas includit; simul autem ita instituit, ut duo itinera duo morbi sequerentur. Concludit poeta hanc de superstitione feminarum partem vv. 582—591, quibus divitum feminarum superstitioni adiungit plebeium fatum eundem in modum, quo in libidinis expositionem (301—397) mediam interiecit prodigentiam pauperum. Itaque non est, cur Weidnerum secuti nonnullos versus ante v. 582 excidisse putemus. Addendum autem est versus 582—591 non toti reliquae parti huius de superstitione loci opponi, sed versibus tantum 508—568, ut in oppositione excipiatur illa, quae ipsa astrologiae perita est; quod e vv. 585—587, quos studio contraria iuxta ponendi Iuv. inseruit, apparet. Opponuntur autem pauperum sortilegi, metoposcopi, chiroscopi auguri, astrologo, haruspici divitum, et cum hi a divitibus domum arcessantur (cf. v. 512, 542, 585 sq.), illi a pauperibus in circo et aggere adeantur necesse est. Atque divitum vaticinatores multo nobiliores esse demonstratur primum ipsis generibus vaticinandi (cf. imprimis: astrorum mundique peritus), deinde et auctoritate perigrinae patriae (Phryx augur et inde conductus) et publico officio (qui publica fulgura condit). Iuv. igitur commutato ordine genera hariolorum revolvit (astrologi vv. 553—568, haruspices vv. 548—552), sed in locum vetulae Iudaeae (542—547), quae somnia minuto aere vendens huic

loco minus apta esset, nobiliorem augurem substituit[1]. Ceterum Ribbeck l. c. p. 154 recte vidit vaticinatores vv. 542—568 enumeratos clam consuli; nam hoc concludere possumus e. v. 542 (mendicat arcanam in aurem) et v. 552 (faciet, quod deferat ipse) et ex ipsis quaestionibus v. 565 sqq. expositis. Sed unde vaticinatores vv. 585—587 commemoratos palam consuli efficere velit, non intellego.

Eodem modo ac v. 569 Iuv. transit ad ultimum locum alterius partis atque ad foediora enarranda se tollit. Sed etiam in his ipsis monstris Iuvenalis studium augendi perspicuum est; nempe ut gradationem perfectam redderet neque graviore monstro enarrato in levius recideret, hunc ordinem instituit: pueri (592—609), vir (610—626), pueri (627—652), vir (652—661). Haec autem est gradatio: feminae adeo materna officia neglegunt, ut officium pueros parendi per vim et fraudem vitent (592—609) aut pupillos avaritia inflammatae interficiant (627—652), adeoque laedunt vinculum coniugale, ut virum magica arte usae suo imperio obnoxium reddant (610—626) aut omnino e medio tollant (652—661). Tamen poeta has quattuor particulas etiam artius inter se coniunxit venenis ubique adhibitis, vv. 592—626 scilicet mitioribus (v. 595 medicamina, 611 philtra, 626 venefica), vv. 626—661 mortiferis (v. 631 veneno, 659 pulmone rubetae). Ceterum non inepte haec venificia superstitiones sequuntur; nam has res aliqua necessitudine coniunctas esse docet e. gr. Clem. Alex. paed. III 28 (cf. etiam ἐναργείας figuram, qua Iuv. item v. 610 utitur ac v. 511 et v. 542).

Ac primum quidem poeta loquitur de sterilitate arte facta (v. 596), de infantibus in ventre necatis (596—597), de spuriis (597—601), de suppositis (602—609).

Sequuntur cantus et philtra, quibus feminae mentem mariti vexant, ut desipiat (612—614) aut furere incipiat (614, 1—626). Exemplum Claudii ab Agrippina veneno sublati iam praeparat subsequentem de mortiferis venenis partem. Ceterum Friedlaender mihi non recte dicere videtur v. 624 sq. de suppliciis

[1] Iniuria hic offendit Ribbeck l. c. p. 154.

gladio et igni factis et de tormentis agi; immo omnia sunt verba torquendi; nempe ferrum atque ignes poscuntur ad urendum (cf. Iuv. XIV 22. [Quint.] decl. maior. VII passim), deinde tormenta in universum significantur (haec potio torquet), postremo rursus certum genus lacerandi, scilicet flagellis, profert (cf. Sen. dial. V 18,3: aliosque et senatores et equites Romanos uno die flagellis cecidit, torsit. ibid. 19,1). Versus 626 (partus equae) ad v. 616 (frontem tremuli pulli) spectat.

Quae virum philtris capere et in suum imperium deducere student, iis aliarum pueros, natos de paelice et privignos, odio esse et ab eisdem occidi non mirum; itaque hos poeta praemittit nullo transitu usus nisi quod verbis „oderunt natos" summam versuum 627—652 significat, quem modum transeundi[1] ubique apud Iuvenalem invenimus. Deinde Iuv. ad proprios pueros progressus pupillos admonet, ut praegustatoribus utantur propter nummos maternum venenum veriti (629—633), atque se non ficta tragoediarum in modum proferre comprobat exemplo Pontiae (634—642). Cum Iuv. v. 634 (altum cothurnum) et v. 636 (Sophocleo hiatu) tragoediarum mentionem fecerit, apte vv. 643—652 monstra tragoediarum cum foedissimis factis suorum temporum comparare potest.

Tum vero v. 652 poeta monstris tragicis Medeae[2] et Procnes factum laudabile Alcestidis opponit, quae fata mariti subiit, atque huic rursus caedem mariti Romae celeberrimam (652—661). Huius autem tria genera profert: Belides, Eriphylas, Clytaemestras. Belidum nomen nihil indicat nisi parricidium mariti in ipsa nocte nuptiali commissum, maxime sane idoneum, quod voluntariae pro salute viri morti Alcestidis opponatur. Contra nomina Eriphylae et Clytaemestrae causam quoque caedis significant, avaritiam vel adulterium. Itaque cum alterum genus hos versus, qui sunt de viri caede, cum pupillis propter nummos necatis coniungat, postremum pluribus verbis expositum aptissime

[1] Cf. Weidner ad VII 150, Clauss l. c. p. 24 sq.

[2] V. 647 sq. Iuv., qui modo v. 643 Colchidem torvam nominavit, illudere videtur ad v. 1078 sq. Medeae Euripideae: *καὶ μανθάνω μὲν οἷα δρᾶν μέλλω κακά. θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων.*

nos revocat in adulteria feminarum, a quibus poeta initium cepit v. 21 et quae nullo fere loco huius saturae non aut fusius aut in transcursu perstringuntur. Concludit Iuv. hanc saturam iterum inter se comparans nefarias mulieres tragoediarum et Romae; sed cum in priore comparatione animos conferat, quibus scelera in se admittunt, in posteriore instrumenta caedis.

Satura VII.

Duae imprimis quaestiones de septima satura ortae sunt; primum enim quaeritur, utrum hanc saturam uno tenore compositam an maximam eius partem Traiani, primos 21 versus Hadriani temporibus scriptos esse, ut Friedlaender vult, iudicandum sit; deinde cur Iuv. locum qui est de historicis tam paucis absolverit philosophosque omiserit. Utramque quaestionem nuper optime tractavit A. Hartmann in opusculo quod inscribitur „Aufbau und Erfindung der siebenten Satire Juvenals“ (progr. Basil. 1912), paulo post edito, quam ego disputationem meam amplissimo philosophorum ordini examinandam proposui; atque quae contra Friedlaenderum[1] et Radermacherum dicere volui, adeo cum Hartmanni sententia congruunt, ut haec denuo exponere supersedeam. Sed quae idem de compositione versuum 36—243 dicit, non omnibus numeris perfecta esse videntur; itaque quae habeo non tacebo.

Tota igitur haec expositio in duas partes dividenda est; nempe Iuv. singula genera hominum litteratorum non nulla dispositione continuat, sed opponit ignavo generi (v. 105) poetarum[2] et historicorum causidicos, rhetores, grammaticos,

[1] Ceterum imperator ab avaris divitibus separatus conferri potest cum non amante sat. VI vv. 200—205 amanti vv. 206—285 praemisso.

[2] Falso scholiasta historicos solos ignavo generi adnumerat. — Ceterum Iuv. imaginem ab agricultura mutuatam v. 48 sq. in loco qui est de historicis continuat v. 98, 103.

quorum officia Romanis maiorem usum affere videbantur quam illorum otium. Atque vide, quam apta symmetria sic efficiatur; nam ut poetis historici, sic rhetoribus — causidici enim et rhetores qui proprie vocantur arte sunt coniungendi — grammatici adduntur, utroque loco simili interrogatione (v. 98, v. 215). Optime vero e rhetoribus causidicos primo loco nominat, qui „ignavis“ poetis et historicis maxime sunt contrarii; conferas quaeso Hor. epp. I 3, 23 sat. I 10, 25 sq., Prop. IV 1, 134. Quamquam ordo, quo Iuv. utitur, vel hac ratione satis explanatur, tamen aliud non neglegendum est; nempe poeta ita rem instituit, ut intra utramque partem (36—104, 105—243) merces hominum litteratorum gradatim minueretur dignitate simul descrescente. Per gradationem igitur saepius (v. 98 sq., 215 sqq.) transit a miseris ad miseriores.

Qua in miseria hominum litteratorum describenda res ipsa poetam coegit mercedi exiguae opponere laborem cum studio vel officio coniunctum et saevas leges, quas ceteri homines eis imponunt. Hae sunt tres primae sententiae huius saturae, quas Hartmann l. c. p. 14 non penitus perspexit. Nam pro saevis legibus semper contradictiones a Iuv. ante occupatas memorat, quas non inter illas sententias primarias numeravisse videtur, propterea quod in loco qui est de grammaticis contradictionem cupiens invenire non poterat. Scilicet non nego Iuvenalem nonnullis locis simul tacitum contradictionem ante occupare aut palam (v. 158) refellere; sed poeta ipse v. 229 aperte saevas leges a ceteris impositas nominat (cf. v. 102 operum lex, v. 71 poscimus, v. 141 respicit haec primum, v. 157 nosse volunt omnes). Ad exiguam mercedem, magnum laborem, saevas leges accedit quarta sententia, quae quamquam ipsa quoque in omnibus quinque locis invenitur, tamen minoris momenti est et plerumque obiter tantum tangitur in mercede describenda: homines ordine inferiores improbe maiore mercede honorari. Hartmanni enim definitionem huius sententiae, qua virtute inferiores praeponuntur, sic restringendam et Aemilium causidicum (vv. 124—128; cf. Hartm. p. 29 sq.) atque fabrum carminatoremque propter matutinum tantum

laborem cum grammaticis comparatos[1] (vv. 222—224; cf. Hartm. p. 39) a locis huius generis reiciendos esse arbitror. Porro cum semper homines ordine inferiores comparentur, Quintillam v. 75 nominatam meretricem, non divitem orbam (Hartm. p. 23), esse puto (cf. sat. III v. 133). Atque ii potissimum homines praeponuntur, in quos homo honestus ac serius pecuniam non effundit: meretrix v. 74 sq., acta legens v. 104, auriga vv. 112—114, citharoedi vv. 175—177, auriga v. 243. Iuv. igitur potestatem habet vv. 75—78 (leo domitus) et vv. 178—185 (aedificia, servi) fusius luxuriam divitis domus describendi.

Poetae, causidici, rhetores etiam quinta sententia distincti sunt; nominantur enim homines eiusdem officii a ceterorum miseria excepti, viri non modo non pauperes, sed manifesto divites (vv. 79 sq., 124—128, 188—201), altera ex parte in loco qui est de poetis etiam patronus liberalis (vv. 88—92). Ceterum hi tres loci a reliquis alia quoque re differunt. Horum enim in fine Iuv. viros ingenio praeter ceteros florentes nominat, quo minor videatur merces exigua magno labori ne per se ipsam quidem respondens; quae gradatio neque in historicis invenitur, e quibus omnino nulla exempla afferuntur, neque in grammaticis, ubi statim initio insignes grammatici Ciceroni Allobrogi opponuntur. Porro impositae legi ab illis tribus ordinibus satisfieri posse negatur: fieri non potest, ut ingenium poetarum se extollat paupertate premente[2], ut rhetores res vv. 155 sq. enumeratas omnes (v. 157), etiam natura stultos (vv. 158—160), doceant, denique ut causidici cito casuri luxum postulatum in perpetuum ostentent; contra historici omnes (v. 101) legi satisfaciunt et optimi quidem e grammaticis (cf. v. 240: non est leve, v. 242: haec cura).

---

[1] Faber et carminator nominantur, quod multo mane laborem aggrediebantur, quo maior videatur labor grammatici vel ante illos vigilantis. Quod Hartm. p. 39 adn. 59 dicit, magis artificiosum quam verum est.

[2] Hoc Iuvenalem augendi studio impulsum non impedit, quominus gradatione illa modo adumbrata utatur. Sed scite primum gloriam (v. 81 sqq.) memorat, v. 93 sqq. demum (vati, par ingenio pretium) ingenium.

Hartmann p. 15 Iuvenalem rato consilio in illis sententiis primariis disponendis uti negat; sed quam rationem mea quidem sententia poeta secutus sit, demonstretur hac tabula:

vv. 36—97: **poetae**

[propositio: merces labori reddita, iam vv. 27—32 datur.]

36—47 merces
48—52 labor diuturnus
53—73 imposita lex
74—78 merces et improbe praeposita luxuriaque divitum
79—97 merces ingeniosorum poetarum
79 sq. Lucanus e miseris poetis exceptus
88—92 Paris ex avaris patronis exceptus.

vv. 98—104: **historici**

98—99 propositio: merces labori reddita

99—101 labor
102 imposita lex
103—104 merces et improbe praepositus.

vv. 105—149: **causidici**

106—107 propositio: merces labori reddita.

108—112 merces simulata
112—114 vera merces et improbe praepositus
115—117 labor
117—123 singulae res verae mercedis
124—128 Aemilius exceptus
129—138 lex imposita
139—149 merces disertorum mercedi divitias simulantium opposita.

vv. 150—214: **rhetores**

150—154 labor
155—160 imposita lex et merces
160—166 labor exemplo illustratus
166—175 singulae res mercedis
175—177 improbe praepositi
178—185 luxuria divitum
186—214 merces egregiorum rhetorum

188—201 Quintilianus exceptus
202—206 pecunia (a parentibus)
207—214 verbera (a discipulis).

vv. 215—243: **grammatici**

215—216 propositio: merces insignium grammaticorum labori reddita.
216—222 merces
222—227 labor
228—229 merces
229—241 leges impositae (scientia, disciplina)
242—243 merces et improbe praepositus.

Videmus igitur Iuvenalem plerumque a mercede hominis litterati incipere, deinde ad laborem et leges impositas venire, postremo ad mercedem redire; saepius (vv. 117—122, 166—175, 228—229) labori rursus merces opponitur. Solis in dicendi magistris tractandis statim a laborioso officio incipit, sed non sine causa; nempe eis, qui bene dicentem Basilum non ferunt, opponit magistrum a discipulis eadem cantantibus excruciatum. Vel inde elucet poetam rhetores cum causidicis artius coniungere voluisse; nam oppositione saepius utitur, ut minores locos inter se conectat.

Haec de compositione totius saturae; nunc singula quaedam addam.

In loco qui est de poetis observamus symmetriam quandam exemplorum, quae Iuv. ante Numitorem et post profert; nempe illic securi Horatius (lyricus) et Vergilius (epicus) pauperi Rubreno Lappae (dramatico), hic diviti Lucano pauperes Serranus, Saleius Bassus, Statius (omnes epici) opponuntur. Paupertatem cum gloria coniunctam, cuius in Saleio breviter tantum mentionem fecit, Statii exemplo fusius illustrat ordine inverso (gloria vv. 82—86, paupertas v. 86 sq.).

V. 117 sqq. merces causidicorum gradatim augetur: gloria, dona, nummi.

Ut Iuv. v. 155 sq. quattuor res rhetorum e schola petitas nominat, sic vv. 168—170 quattuor controversias. Quas commemorat, haud ita crebro inveniuntur in declamationibus, quas

accepimus, excepto raptore, qui item ac tyrannus v. 151 nominatus maximam rhetoribus materiam disputandi praebebat. Itaque non creberrima potissimum exempla Iuv. profert, sed ea elegit, quorum bina inter se opponeret. Alter feminam rapit, alter exire iubet; ille venena, hic herbas salutares parat.

Ea, quae Iuv. vv. 232—236 e grammaticis quaeri fingit, ita disposuit, ut duabus longinquis necessitatibus (nutrici, novercae) duos numeros (quot annis, quot urnas) adiungeret.

Conclusio.

E disputatione mea velim intellegas Iuvenalem non omni arte disponendi caruisse. Nam etiamsi totius saturae compositio, quam bipertire amat, interdum minus apta sit aut poeta id, quod sibi proposuit, non tenuerit, tamen singulis in partibus nec non in enumerationibus omnia optime disposita sunt; atque symmetriam quandam, quam illic non nunquam neglexit, hic haud raro invenisse mihi videor. Postremo quantum Iuvenalis studium augendi et opponendi valuerit ad saturas disponendas, clarius nunc elucet.

Vita.

Natus sum Guilelmus Stegemann Magdeburgi a. d. III. Nonas Martias anni 1889 patre Friderico, matre Luisa e gente Köbke. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis Dresdae imbutus ibidem gymnasium Wettinum, quod tum Meltzero rectore florebat, per novem annos frequentavi. Vere anni 1908 maturitatis testimonium adeptus Dresdae in legione C I stipendia merui per unum annum, quo praeterito vere anni 1909 almae matris Lipsiensis civibus adscriptus sum et studiis philologicis, historicis, paedagogicis me dedidi. Docuerunt me viri docti: Barth, Beloch, Bethe, Brandenburg, Brugmann, Gardthausen, M. Heinze †, R. Heinze, Jungmann, Lamprecht, Lipsius, Martini, Meister, Schmarsow, Seeliger, Spranger, Studniczka, Suess, Volkelt, Wilcken, Wundt. Proseminario I. et II. interfui Heinzeo et Betheo moderantibus. Tum post tertium semestrium Heinze, Lipsius, Bethe benigne me in seminarium philologum receperunt, cuius sodalis ordinarius per bis sex menses fui; in exercitationes historicas comiter me admiserunt Wilcken, Beloch, Herre, in philosophas Barth et Volkelt, in paedagogicas Jungmann, in archaeologicas Studniczka et Schreiber †.

Quibus praeceptoribus omnibus gratam servabo memoriam; maximas vero gratias ago Ricardo Heinze, qui in hac dissertatione perficienda benevolentissime consilio auxilioque me adiuvit.

Bro
INDUS
Newark ▪
Brantford

UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
871J7.YSTE C001
DE JUVENALIS DISPOSITIONE. WEIDAE
3 0112 023681320